DE METRIS PINDARI

QUAESTIONES TRES

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FELIX VOGT
BERNENSIS.

ARGENTORATI
APUD CAROLUM I. TRUEBNER.
MDCCCLXXX.

GUILELMO · STUDEMUNDO

RUDOLFO · SCHOELLIO

PRAECEPTORIBUS

S·

PRAEFATIO.

Trium quas de metris Pindari conscripsimus quaestionum prima, quae ad omnia epinicia pertinet, demonstrabimus Pindarum in extremo versu, ubi omnes poetae Graeci syllabam ancipitem ita admisisse dicuntur, ut pro arbitrio brevem aut longam syllabam ponerent, consulto evitasse syllabas vocali brevi terminatas. Legitime igitur versus Pindarici exire possunt in syllabas velut *-τως*, *-τω*, *-τος*, illegitimus autem exitus est e. g. in *-το*. Quod discrimen cum in libris de re metrica conscriptis non observatum sit, neque nomen sollemne praesto sit, quo exitus in vocalem brevem (*-το*) cadens distinguatur ab exitibus in consonantem (*-τως*, *-τος*) et in vocalem longam (*-τω*) cadentibus (nam brevis exitus non minus ille appellari potest, qui fit in syllabam brevem consonante terminatam [*-τος*] quam is, qui in vocalem brevem fit [*-το*]), ut uno verbo rem significemus, exitus, quales sunt *-τως*, *-τω*, *-τος*, appellabimus perfectos, contra exitus in vocalem brevem cadentes, qualis est *-το*, exitus imperfectos.

In altera quaestione agemus de versibus et colis earum stropharum, quas G. Hermannum secuti doricas appellare consuevimus. Sane cum Hermanni studia metrica inter philologorum plausus senescerent, non modo ei qui postquam identidem voluptatis causa degustaverunt magis quam perdidicerunt artem metricam, tumultuariam et incogitatam operam in hac disciplina collocarunt, sed etiam acumine suo

bene utentes et prudentes numerorum Graecorum aestimatores plerique hoc nomen adoptarunt, cum praesertim hoc stropharum genus maxime in poesi chorica Doriensium excultum esse videretur. Nos simul brevitatis causa illud nomen praeferendum esse duximus nominibus naturam metri melius significantibus, quae Westphalius his strophis dedit, cum in priore artis metricae Graecae editione strophas dactylo-epitriticas, in altera hesychasticas episyntheticas nuncuparet. Item ut brevitati inserviremus, eas strophas Pindari, quae doricae non sunt, quamvis inter se diversissimas, uno nomine *aeolicarum* comprehendimus. Summa autem huius quaestionis haec est: Stropha dorica componitur ex colis dactylicis et trochaicis (sive epitriticis), quae constanter incipiunt a thesi, i. e. a gravi pedis parte, et exeunt in arsin, i. e. in levem pedis partem, quae arsis aut syllaba expressa est, velut in hoc colo:

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – –

aut cum thesi praecedenti in unam syllabam totius pedis spatium explentem coniuncta est, velut in hoc colo:

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⌞

aut pausa expletur, velut in hoc colo:

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ∧

Pausa autem non fit nisi cum finis *coli* incidat in finem *versus*, i. e. cum post hoc colum in omnibus carminis strophis verbum finiatur et in una vel pluribus strophis syllaba anceps vel hiatus accedat. Potest autem *versus finis* incidere non solum post ultimum pedem coli, quod fit plerumque, sed etiam *in medio colo* post thesin vel primam vel alteram vel tertiam. Quae res eo confirmatur, quod, si versus incipit a duabus syllabis brevibus, finis versus praecedentis constanter ita comparatus est, ut initium coli dactylici esse possit. Exemplo autem hoc loco uno defungar, quod Christius quoque similiter explicavit in libri, quem de re metrica conscripsit, ed. II p. 107 sq. Habemus enim in carmine **P** IX secundum et tertium versus strophae hos:

– ⏑ – – – ⏑ – – ⏓

⏑⏑ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – –

quorum numeros sic explicari posse dicit:

–́ ⏑ – – –́ ⏑ – – ⏓́, ⏖ – ⏑ –́ ⏖ – ⏖ –́ –*)

Continuationem autem rhythmicam, qua versus in eiusmodi locis arte conexos esse apparet, per totas strophas fieri coniecimus, quia in nulla stropha sententiae incisiones eodem loco constanter factas deprehendimus, quae certiores nos facerent certo loco continuationem rhythmicam interruptam esse. Obstare vero videntur continuationi rhythmicae maxime illi loci, ubi versus incipiat ab arsi, cum praecedens in arsin cociderit.

Quod fit e. g. **O** VI str. 5:

–́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏖ – ⏖ – ⏓

– –́ ⏑ – – –́ ⏖ – ⏖ – ⏑ ⏓́ .

⏑ – – –́ ⏑ – – . . . . . .

nam duae arses ita ut rhythmus servetur se excipere non possunt, quia rhythmus fit aequabili vicissitudine thesium et arsium. Dissuadent autem interruptionem rhythmi loco citato eiusdem carminis versus 46 et 54:

. . . . – – –́ ⏖ – ⏖ – ⏓ || – –́ ⏑ – – . . . .

. . . *ἐθρέψαντο δράκοντες ἀμεμφεῖ* || *ἰῷ μελισσᾶν* . .

. . . *πεμπταῖον γεγεναμένον. ἀλλ' ἐν* || *κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ* . . .

Itaque ne inconstantiae crimen committerem sed ut talibus quoque locis continuationem numerorum servarem, paene invitus et cum magna cunctatione eo cotidiana meditatione perductus sum, ut conicerem omnes versus harum stropharum, qui in arsin exire viderentur, ita dimetiendos esse, ut syllaba longa paenultima vicem gereret unius pedis, ultima autem thesis

---

*) Inter Christii autem sententiam, cum verbis utatur his: »man wird daher entweder den angeführten Vers trotz des Hiatus in vv. 35, 60, 110 und trotz der zweifelhaften Sylbe in vv. 27, 102 mit dem folgenden Vers rhythmisch verbinden«, nostramque id discrimen intercedit, quod ille hac rhythmi continuatione quasi unum versum ex duobus (2 et 3) effici putat, nos talem continuationem rhythmi per totas strophas versuum diremptione non sublata constituendam esse contendimus. Identidem monemus ictum illum, quo Christius paenultimam syllabam versus tertii, nimio ni fallor dipodicae mensurae amore adductus, insignivit, a nobis non comprobari.

fieret, quae aut pausa aut arsi sequenti versui praefixa ad unius pedis mensuram compleretur. Quod loco citato fit hoc modo:

–́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⌊__ ⏒
– –́ ⏑ – – . . . .

ut colum quattuor pedum comprehendat exitum et initium versuum

–̋ ⏑⏑ –́ ⏑⏑ ⌊–́ ⏒́ | –

Neque ignoramus semper futurum aliquid in hoc conatu, quod fastidiosos artis Pindaricae aestimatores offendat.

In ictibus distribuendis nihil novare voluimus, sed cum omnibus editoribus Pindari in strophis doricis describendis ictu notabimus primam thesin coli. Revera autem in colis dactylicis et trochaicis primam thesin fortissimum ictum recepisse pro certo non constat, sed veri simile est. Discimus enim ex grammaticis latinis, qui Heliodori doctrinam propagant, in trimetro iambico, qui constat ex tribus syzygiis vel pedibus duplicibus, fortiores ictus cecidisse in alteram quamque syzygiarum thesin, i. e. in pedes versus alterum, quartum, sextum:

⏓ – ⏑ –́, ⏓ – ⏑ –́, ⏓ – ⏑ ⏒́.

Syzygia igitur ictus scandentes habet (⏓ –̀ ⏑ –́), sicut pes simplex ab arsi ad thesin progreditur (⏑ –́). Quodsi eadem analogia est in aliis metris inter pedes simplices et pedes compositos i. e. cola, cola dactylica et trochaica ictibus descendentibus insignienda sunt, quia pes dactylicus (–́ ⏑⏑) et pes trochaicus (–́ ⏑) a thesi ad arsin progrediuntur.

Quod autem Westphalius (Die Fragmente u. die Lehrsätze der griechischen Rhythmiker p. 180) ictus hexametri dactylici hoc modo distribuendos esse censet:

–̋ ⏑⏑ –́ ⏑⏑ –‴ ⏑⏑ –̋ ⏑⏑ –́ ⏑⏑ –‴ –

verbis Marii Victorini (p. 2515): »herous in duas caeditur partes, penthemimerem et hephthemimerem«, abusus, quae de caesura, non de ictibus dicta sunt, probari nequit. Nam quod ad rationem suam confirmandam profert, hac percussione theses ante caesuram et ante finem versus fortissimos ictus

recipere, quae declamatione quoque distinguantur, confundit ictum rhetoricum cum ictu rhythmico et musico.

Tertia quaestione, qua de syllaba ancipiti in medio versu strophae doricae agetur, probare conabimur utriusque generis et dactylici et epitritici cola acatalecta strophae doricae secundum rhythmum severiorem eumque antiquiorem exiisse in trochaeum, spondeo autem pro trochaeo posito retardari rhythmum, quae retardatio Pindari tempore tam saepe facta est in extremis colis, ut spondeus ibi pes legitimus esset, trochaeus exceptionis locum tenens certis sedibus in initio maxime carminum compareret.

Aberrare aliquantum et in devium exire vereor ne videantur haec studia in difficillimis quaestionibus metricis collocata eis viris doctis, qui aut hauriendam ex optimis scriptoribus Graecis delectationem unice commendandam esse iunioribus clamant aut in hoc uno multum curae multumque sedulitatis impendendum esse arbitrantur, ut iudicandi calliditas cum vitiis librariorum socordia contextui optimorum scriptorum obtrusis luctetur. Sed neque consenescet Pindaricae poesis elegantia dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis, nec facile in Pindari locis antiquitus corruptis emendandis palmam feret pusillum et angustum ingenium eorum, qui in occurrentes versus obiter coniecturis furere solent; quin etiam refrenandos et inhibendos esse coniecturientium impetus in crisi Pindarica persuadet clarissimorum Pindari editorum exemplum, quorum salubris providentia nos docuit nec sordide custodire lectiones traditas, ubi suspicioni obnoxiae sunt, nec prodige spargere coniecturas in locis quos certo corrigi posse desperes.

QUAESTIO PRIMA.

DE EXITU VERSUUM PERFECTO ATQUE IMPERFECTO.

§ 1.

Ante Boeckhium qui Pindarum edebant, versus solebant ita diremptos constituere, ut in libris manuscriptis extant, in quibus non versus (sive periodi) distincti sunt, sed cola, quatenus grammatici et grammaticastri Byzantini hoc facere potuerunt.

Boeckhius autem cum omnem istam congeriem Byzantinorum magistellorum, quorum dum ingenia dormiunt, digiti carmina metientes opificum ritu sonabant, non dignam esse intellexisset, in qua diu desudaret, abiecta lubrica et incerta possessione regularum a Byzantinis excogitatarum, ipsa Pindari carmina accuratissime perscrutatus ac dimensus versus Pindaricos divisit secundum legem hanc: si certo loco stropharum ad idem schema metricum confectarum omnium (vel, ut uno verbo dicamus, omnibus locis parallelis) vocabulum finitur, versus finis constitui potest, et si in una vel pluribus strophis accedit hiatus vel syllaba anceps, versus finem constitui necesse est. Praeterea versus exire non potest in vocabulum elisum, neque incipere ab enclitico aut a particulis μέν et δέ. Discrepant autem cum hac regula tam pauci loci, ut emendandi esse videantur. Atque cum Tycho Mommsen omnes elisiones in finibus versuum emendando removisset, Theodorus Bergk, novissimus editor Pindari, in Poetarum lyricorum editione quarta quattuor locis elisionem in fine versuum admisit.

Christius contra (de re metrica ed. II p. 104) elisiones quidem removit, sed quinque locis versus incipere a τέ, δέ et μοί vocabulis contendit, quos locos Bergkius et Mommsenus emendarunt. Sunt autem loci, de quibus agitur, hi:

1) **O** II 29 (Chr.)

. . . . φιλεῖ
δέ νιν Παλλὰς αἰεί

Hunc versum cum praecedenti recte coniunxerunt Mommsenus et Bergkius, in unico loco parallelo v. 15 . . . Ἀλφεοῦ | ἰανθείς . . ., qui obesse videtur, hiatus post nomen proprium tolerari potest aut facili negotio Ἀλφεοῖ' ἰανθείς scribi (cf. **O** XIII 34 Θεσσαλοῖ' ἐπ' Ἀλφεοῦ et quae ad hunc locum adnotavit Mommsenus).

2) **O** III 25

. . . . πορεύειν θυμὸς ὥρμαιν'
Ἰστρίαν νιν . . . .

Hoc loco elisio intolerabilior quam alibi est, quod in fine strophae fit. Summo igitur iure Christius et Mommsenus ediderunt ὥρμα codicis A lectione recepta.

3) **P** IV 180

. . . . ταχέως δ'
ἀμφὶ Παγγαίου θέμεθλα . . . .

Recte Boeckhius delevit particulam δέ, quam Bergkius retinet: nam saepius factum est ut asyndeta genuina librarii δέ particula inserta ligarent, veluti **O** I 71 ἐγγὺς δ' ἐλθών . . . traditum est, ubi δέ eici metrum iubet.

4) **N** IV 64

πῦρ δὲ παγκρατὲς θρασυμαχάνων τελεόντων
ὄνυχας ὀξυτάτους ἀκμάν
τε δεινοτάτων σχάσαις ὀδόντων
ἔγαμεν ὑψιθρόνων μίαν Νηρεΐδων,

Hanc lectionem traditam retinuerunt Mommsenus et Christius, quamquam non solum vox enclitica offendit, sed etiam syllaba brevis τε, pro qua undecim sedibus parallelis longa extat. Bergkius autem longam syllabam optime restituit, cum scriberet

. . . ἀκμάν τ' | ἦ δεινοτάτων . . .,

sed elisionis artificium obtrusit versui extremo. Utrumque artificium evitari potest coniunctis versibus ultimis strophae:

⏖́ ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⊔ ⏓

ὄνυχας ὀξυτάτους ἀκμάν τ' ἢ δεινοτάτων σχάσαις ὀδόντων

Ex undecim locis parallelis cum novem nullam omnino difficultatem habeant, v. 23 . . . *κατέδρακεν* | *Ἡρακλέος* . . . terminatio -*εν* sub ictu produci potest, sicut fit **P** IV 184

. . . ⏑ – – –́ ⏑ – –

. . . *πόθον ἔνδαιεν Ἥρα*,

et in v. 47 coniectura amplectenda est, quam Bergkius in editione altera protulit

ὁ Τελαμωνιάδας δ' ἄτερθ' Αἴας Σαλαμῖν' ἔχει πατρῴαν·

5) **N** VIII 38

. . . . . *καλύψαιμ'*

Bergkius nunc servat, Mommsenus autem et Christius emendant scribentes *καλύψαιν*, quod ipse Bergkius olim coniecerat.

6. 7) **I** VIII (VII) 12 et 32 (Chr.)

στρ. β' 1. . . . . *ἀλλά* | *μοι δεῖμα* . . . .

στρ. δ' 1. . . . . *εἶπε* | *δ' εὔβουλος* . . . .

Hoc loco unus Christius versus ita distribuit, ut a *μοί* et *δέ* eliso versus incoharentur, Bergkium autem et Mommsenum eos recte coniunxisse § 5, 20 demonstrabimus.

§ 2.

Si exitus versuum secundum regulas in § 1 expositas constitutorum contemplati naturam syllabarum in fine positarum examinamus, maximam partem longarum invenimus, multo minorem brevium; ex brevibus autem plurimae exeunt in consonantem, paucissimae in vocalem. Omnibus enim epiniciorum versibus secundum Boeckhii editionem computatis deprehendimus in versibus 3549 versus 100 tantum, qui cadant in syllabam brevem apertam (i. e. quae in vocalem brevem desinit, velut *τέ*). Ac primum quidem oritur quaestio, num haec ratio ex natura linguae graecae proveniat an ex consilio poetae. Comparemus igitur alia genera poeseos, in quibus de versuum divisione nulla est dubitatio, e. g. ver-

sum heroicum et trimetrum iambicum. In Homeri libro *N*, qui continet hexametros 835, versus 142 cadunt in brevem apertam; in dialogo Persarum Aeschyleae, qui constat ex trimetris iambicis et tetrametris trochaicis catalecticis 590 (licet enim, ubi de fine versuum quaestio est, haec duo genera metrorum consociare, quoniam utriusque pars altera, quae post caesuram est, eadem est:

⏒ – ⏑ – ⏒, – ⏑ – ⏒ – ⏑ ⏓
– ⏑ – ⏒ – ⏑ – ⏒, – ⏑ – ⏒ – ⏑ ⏓)

105 versus exeunt in brevem apertam. Hos igitur numeros evicimus:

Pindari epinicia]	100 : 3549 vel	28 : 1000,	fere $\frac{1}{35}$ vel $\frac{1}{36}$
Homeri *N*]	142 : 835 vel	170 : 1000,	fere $\frac{1}{6}$
Aeschyli Persae]	105 : 590 vel	178 : 1000,	fere $\frac{1}{6}$.

Ex qua computatione intellegitur Pindarum aliquatenus consulto reformidasse exitum versuum ita comparatum, ut ultima syllaba caderet in brevem vocalem apertam. Qua re commoti dedimus huic exitui nomen *imperfecti*, ita ut exitus *perfectus* nobis is sit, qui formetur aut syllaba longa clausa (e. g. της) aut syllaba longa aperta (e. g. τη) aut syllaba brevi clausa (e. g. τος).

Figuram rhythmicam exitus spectanti discernendi sunt exitus masculinus et exitus femininus: masculinus autem is est, cuius paenultima syllaba arsis est (⏑ ⏓́), femininus contra is, cuius paenultima syllaba thesis est (–́ ⏒)*).

Iam quamquam versus heroicus feminino, versus scaenicus masculino conspicuus est exitu, atque alia dialecto utuntur epici alia tragici poetae, tamen Homerus et Aeschylus eundem numerum relativum exituum imperfectorum habent $\frac{1}{6}$. Unde apparet figuram exitus nullius momenti esse in frequentia exituum imperfectorum admittenda reformidandave.

§ 3.

Cum circumspectis omnibus rebus rationibusque subductis explorate cognitum habeamus Pindarum exitum imperfectum

*) In hac definitione paenultimae naturam adhibuimus, non ultimae, ex causis, quarum infra faciemus mentionem.

parum probasse, duae quaestiones oboriuntur, quarum altera haec est, num quid 100 illis locis, quibus exitum imperfectum legimus, commune sit, quo explicetur, cur a norma ceteroqui sedulo observata recesserit, altera illa est, num omnes illi loci sani sint traditi. Quae res cum diligenti observatione indigeat, necesse est ut subiciamus tabulam locorum, in qua versus et secundum eum numerum, quem habent in toto carmine, et secundum eum, quem habent in stropha vel epodo, citabimus.

Uncis autem inclusum addemus numerum versuum totius carminis, ut appareat, quanta sit frequentia exituum imperfectorum in singulis carminibus. Simul adscribemus singulis locis, qualis sit natura exitus in reliquis locis parallelis ratione habita initii versus sequentis, ita ut discernamus septem classes exituum:

1. exit versus in longam clausam aut
   exit versus in longam apertam et incipit sequens a consonante:
   Habemus exitum longum (l.)
2. exit versus in longam apertam et incipit sequens a vocali:
   Habemus exitum longum cum hiatu (h.)
3. exit versus in brevem clausam et incipit sequens a consonante:
   Habemus exitum brevem cum positione (p.)
4. exit versus in brevem clausam et incipit sequens a vocali:
   Habemus exitum brevem (br.)
5. exit versus in brevem apertam et incipit sequens a consonante duplici:
   Habemus exitum imperfectum cum positione (ip.)
6. exit versus in brevem apertam et incipit sequens a consonante simplici:
   Habemus exitum imperfectum (i.)
7. exit versus in brevem apertam et incipit sequens a vocali:
   Habemus exitum imperfectum cum hiatu (ih.)

Percensenti e. g. omnes versus carminis **P I** occurrent in 100 versibus 69 l, 10 h, 9 p, 11 br, 1 i, 0 ih, 0 ip.

a et *d* litterae carminum titulis praefixae indicant metrum carminis aeolicum vel doricum.

a. **O** I (116)

62. *στρ. γ′* 4. *ἀμβροσίαν τε* | *δῶκεν*. 4 l, 2 h, 1 p, 1 i. –́⏑|–́⏑–
86. *επ. γ′* 6. *ἐφάψατο* | *ἔπεσι*. 3 l, 1 ih. ⏑–́|⏖́⏑– (Bgk., Chr.)

a. **O** II (110)

25. *στρ. β′* 3. *βαρύ* | *κρεσσόνων*. 6 l, 3 h, 1 ip. ⏑–́|–́⏑–
104. *αντ. ε′* 8. *χέρα* | *Θήρωνος*. 2 l, 4 p, 3 br, 1 i. ⏖–́|––́⏑
110. *επ. ε′* 6. *δύναιτο* | 1 h, 1 p, 2 br, 1 i. –́⏑| (5)

d. **O** III (48)

9. *αντ. α′* 4. *τᾶς ἄπο* | *θεόμοροι*. 4 l, 1 p, 1 i. ⏑–́|–́⏑–
13. *επ. α′* 3. *τάν ποτε* | *Ἴστρου*. 1 l, 1 p, 1 ih. ⏑–́|–́⏖–

a. **O** IV (30)

1. *στρ.* 1. *ὑπέρτατε* | *βρονταῖς*. 1 br, 1 i. ⏑–́|––́⏖ (Bgk.)
21. *επ.* 1. *παῖδα* | *Λαμνιάδων*. 1 i. –́⏑|–́⏖–
26. *επ.* 6. *ταχυτᾶτι* | *χεῖρες*. 1 i. –́⏑|––́⏖ (10)

a. **O** V (24)

3. *στρ. α′* 3. *δῶρα* | *ὅς*. 5 l, 1 ih. –́⏑|–́––

d. **O** VI (105)

53. *αντ. γ′* 4. *ἀλλά* | *κέκρυπτο*. 7l, 1h, 1br, 1i. –́⏑|––́⏑ (Bgk.)
68. *στρ. δ′* 5. *πατρί* | *ἑορτάν*. 3 l, 2 h, 2 p, 2 br, 1 ih. ⏑–́|⏑–́–

d. **O** VII (95)

16. *επ. α′* 5. *ἄποινα* | *καί*. 1 l, 3 p, 1 i. –́⏑|–́⏖

d. **O** VIII (88)

4. *στρ. α′* 4. *ἀνθρώπων πέρι* | *μαιομένων*. 1l, 1 h, 3p, 2br, 1i. ⏑–́|–́⏖– (15)

a. **O** IX (120)

19. *αντ. α′* 7. *παρά* | *Ἀλφεοῦ*. 1 h, 3 p, 3 br, 1 ih. ⏑–́|–́⏑–
46. *αντ. β′* 5. *καταβάντε* | *δόμον*. 3 l, 3 p, 1 br, 1 i. –́⏑|⏖́⏑–
55. *επ. β′* 3. *ἀλλά* | *Ζηνός*. 2 l, 1 br, 1 ip. –́⏑|––́⏑
83. *επ. γ′* 1. *μήποτε* | *σφετέρας*. 2 l, 1 p, 1 ip. ⏑–́|⏖–́

a. **O** X (XI) (110)

4. *στρ. α′* 4. *χερί* | *ἐρύκετον*. 1 l, 1 p, 5 br, 3 ih. ⏑–́|⏑–́⏑ (20)
26. *στρ. β′* 4. *ἐκτίσσατο* | *ἐπεί*.
90. *στρ. ε′* 4. *ποιμένα* | *ἐπακτόν*.

21. επ. α′ 8. *ποτί* | *πελώριον*. 1 br, 1 i, 1 ip, 2 ih. ⏑–́|⏑–́⏑⏑
65. επ. γ′ 8. *ἅρματι* | *ἀγώνιον*.
87. επ. δ′ 8. *ἀραρότα* | *χλιδῶσα*. (25)
109. επ. ε′ 8. *ἅποτε* | *ἀναιδέα*.

28. στρ. β′ 6. *ἀμύμονα* | *πέφνε*. 1l, 4p, 4br, 1i. ⏑–́|⏑–́⏑⏑ (⏑⏑–́)
37. επ. β′ 3. *πυρί* | *πλαγαῖς*. 1 h, 1 br, 1 ip, 1 ih. ⏑–́|––́⏑⏑
59. επ. γ′ 3. *ἄρα* | *ἔστασεν*.
62. επ. γ′ 5. *νικαφορίαισί τε* | *τίς*. 2p, 2br, 1 i. ⏑–́|––́⏑ (30)
90. στρ. ε′ 2. *πατρί* | *ποθεινός*. 1 h, 3 p, 5 br, 1 i. ⏑–́|⏑–́
102. επ. ε′ 2. *μέλιτι* | *εὐάνορα*. 1 l, 2 br, 1 ih. ⏑⏑–́|–́⏑⏑

d. **O** XIII (110)

20. επ. α′ 4. *μέτρα* | *ἤ*. 1 p, 4 ih. ⏑–́|–́⏑
42. επ. β′ 4. *ἀριστεύσατε* | *ἠδέ*.
64. επ. γ′ 4. *αὐτίκα* | *ἦν*. (35)
108. επ. ε′ 4. *κατά* | *Ἑλλάδ᾽*.
69. στρ. δ′ 3. *ποδί* | *παρκείμενον*. 5l, 1 h, 3p, 1 i. ⏑–́|––́⏑

a. **O** XIV (24)

1. στρ. 1. *αἵτε* | *ναίετε*. 1 i, 1 br (c. elis.). –́⏑|–́⏑⏑
10. στρ. 10. *παρά* | *Πύθιον*. 1 l, 1i. ⏑–́|––́⏑
15. αντ. 2. *Θαλία τε* | *ἐρασίμολπε*. 1l, 1ih. ⏑⏑–́⏑|–́⏑⏑– (40)
19. αντ. 8. *ἕκατι* | *τόνδε*. 1 l, 1 i. ⏑–́⏑|–́⏑
19. αντ. 7. *Μινύεια* | *σεῦ*. 1 l, 1 i. –́⏑|–́⏑– (Bgk.)

d. **P** I (100)

16. επ. α′ 4. *τόν ποτε* | *Κιλίκιον*. 2l, 1 p, 1 br, 1 i. –⏑–́|–́⏑⏑

a. **P** II (96)

31. στρ. β′ 7. *ὅτι* | *ἐμφύλιον*. 6 p, 1 ip, 1 ih. ⏑–́|––́
79. στρ. δ′ 7. *βαθύ* | *σκευᾶς*. (45)
36. αντ. β′ 4. *παρελέξατο* | *ψεῦδος*. 1 l, 1 h, 1 p, 4 br, 1 ip. ⏑–́|––́⏑
61. αντ. γ′ 5. *κενεά* | *εὐανθέα*. 7 l, i h. ⏑⏑–́|––́⏑

d. **P** III (115)

5. στρ. α′ 5. *ποτέ* | *τέκτονα*. 5l, 1h, 1br, 1 i, 1ih. ⏑–́|–́⏑⏑
74. στρ. δ′ 5. *ποτέ* | *ἀστέρος*.
40. επ. β′ 3. *οὐκέτι* | *τλάσομαι*. 3l, 1 br, 1 ip. ⏑–́|–́⏑– (50)
78. αντ. δ′ 2. *θαμά* | *σεμνάν*. 6l, 1 h, 1 p, 2 i. ⏑–́|––́⏑⏑
94. στρ. ε′ 2. *ἕδνα τε* | *δέξαντο*.

d. **P** IV (299)

5. *στρ. α'* 5. *ἱέρεια* | *χρῆσεν.* 13l, 2h, 4p, 6br, 1ip. – ⏑ –́ | –́ ⏑ (Bgk., Mo.)

21. *επ. α'* 5. *διδόντι* | *ξείνια.* 8l, 3p, 1br, 1ip. –́ ⏑ | –́ ⏑

40. *επ. β'* 1. *θαμά* | *λυσιπόνοις.* 3l, 3p, 2br, 2i, 3ih. ⏑ –́ | –́ ⏑⏑ (55)

86. *επ. δ'* 1. *τόδε* | *οὔτι.*

224. *επ. ι'* 1. *σκίμψατο* | *καί.*

247. *επ. ια'* 1. *καί τινα* | *οἶμον.*

293. *επ. ιγ'* 1. *ποτέ* | *οἶκον.*

53. *στρ. γ'* 7. *δώματι* | *Φοῖβος.* 10l, 2h, 7p, 6br, 1i. ⏑ –́ | –́ ⏑ (60)

a. **P** V (124)

7. *στρ. α'* 7. *βαθμίδων ἄπο* | *σύν.* 4p, 2br, 1i, 1ih. ⏑ –́ | ⏑ –́ –́

69. *στρ. γ'* 7. *Λακεδαίμονι* | *ἐν.*

19. *αντ. α'* 8. *φρενί* | *μάκαρ.* 1h, 2p, 2br, 1ip, 1i, 1ih. ⏑ –́ | ⏑ –́ ⏑

101. *στρ. δ'* 8. *φρενί* | *σφόν.*

112. *αντ. δ'* 8. *ἔπλετο* | *ἀγωνίας.* (65)

20. *αντ. α'* 9. *ὅτι* | *εὖχος.* 1l, 1p, 4br, 2ih. ⏑ –́ | –́ ⏑

51. *αντ. β'* 9. *φρενί* | *ἦλθες.*

94. *στρ. δ'* 1. *μέτα* | *ἔναιεν.* 4l, 1h, 2p, 1ih. ⏑ –́ | ⏑ –́ ⏑

80. *αντ. γ'* 7. *Καρνεῖε* | *σ' ἐν.* 1l, 1p, 4br, 2i. –́ ⏑ | – –́ ⏑⏑ (Bgk.)

111. *αντ. δ'* 7. *γλῶσσάν τε* | *θάρσος.* (Bgk.) (70)

a. **P** VI (54)

13. *στρ. β'* 4. *χεράδι* | *κρυπτόμενον.* 4l, 1h, 1ip. ⏑⏑ –́ | –́ ⏑⏑

a. **P** VII (22)

19. *επ.* 3. *ἔργα* | *φαντί.* 1i. –́ ⏑ | –́ ⏑⏑

a. **P** X (72)

6. *στρ. α'* 6. *ὅπα* | *γεύεται.* 3l, 3p, 1br, 1i. ⏑ –́ | ⏑ –́ ⏑⏑ (–́ ⏑ –)

51. *επ. γ'* 3. *χθονί* | *πρῴραθε.* 2l, 1ip, 1ih. ⏑ –́ | – –́ ⏑

69. *επ. δ'* 3. *ὅτι* | *ὑψοῦ.* (75)

d. **P** XII (32)

3. *στρ. α'* 3. *ὦ ἄνα* | *ἵλαος.* 3br, 1ih. – ⏑ –́ | –́ ⏑⏑

6. *στρ. α'* 6. *τάν ποτε* | *Παλλάς.* 1l, 1p, 1br, 1i. – ⏑ –́ | –́ ⏑⏑

a. N III (80)

2. στρ. α' 2. Νεμεάδι | ἵκεο. 3 l, 2 p, 1 ip, 2 ih. ⏑–́|⏖́⏑–
23. στρ. β' 2. πελάγεϊ | ὑπερόχους. (Bgk., Mo.)
42. στρ. γ' 2. θαμινά | βραχύ. (80)
9. αντ. α' 1. ἄπο | ἄρχε. 5 l, 1 p, 1 br, 1 ih. ⏑–́|–́⏑–
39. επ. β' 4. ἀτρεκέι | κατέβα. 1 l, 1 h, 1 p, 1 i. ⏑–́|⏖–́

a. N IV (96)

69. στρ. θ' 5. ἀπότρεπε | αὖτις. 3 l, 6 p, 2 br, 1 ih. ⏑–́|–́⏑

d. N V (54)

3. στρ. α' 3. ὅτι | Λάμπωνος. 4 l, 1 p, 1 i. ⏑–́|––́⏑
40. στρ. γ' 4. περί | πάντων. 3 l, 1 p, 1 i, 1 ih. ⏑–́|––́⏑ (85)
46. αντ. γ' 4. ὅτι | ἐσλοῖσι.

a. N VI (69)

23. επ. α' 8. γένετο | ἐπεί. 1 p, 1 br, 1 ih. ⏖–́|⏑–́–

a. N VII*) (105)

5. στρ. α' 5. ἴσα | εἴργει. 4 l, 2 h, 3 br, 1 ih. ⏑–́|––́⏖
53. αντ. γ' 3. Ἀφροδίσια | φυᾷ. 7 l, 1 h, 1 p, 1 i. ⏑–́|⏑–́⏑

d. N VIII (51)

16. επ. α' 6. ἄγαλμα | σύν. 1 p, 1 br, 1 i. –́⏑|–́⏑– (90)
28. επ. β' 1. χροΐ | ἕλκεα. 1 p, 1 br, 1 ih. ⏑–́|–́⏑–

d. N IX (50)

3. στρ. α' 3. πράσσετε | τό. 3 l, 2 h, 2 p, 3 br, 1 i. ⏑–́|–́⏑–
52. στρ. ια' 2. ἅμα | Λατοΐδα. 5 l, 1 h, 2 p, 2 br, 1 i. ⏑–́|–́⏖

d. N X (90)

31. επ. β' 1. περί | ἐσχάτων. 1 l, 2 br, 1 i, 1 ih. ⏑–́|–́⏑–
85. επ. ε' 1. κασιγνήτου πέρι | μάρνασαι. (95)

d. I III, IV (90)

32. επ. β' 2. ἐγένοντο | χαλκέῳ. 3 l, 1 br, 1 i. –́⏑|–́⏑–

---

*) Omitto vitiosam emendationem Boeckhii receptam a Mommseno N VII 37

. . . ∟–́⏑̄–⏖–⏑∟⏓

. . . πλαχθέντες δ' εἰς Ἐφύραν ἵκοντο

qua non solum exitus imperfectus intruditur, sed etiam spondeus illegitimus pro trochaeo. Bergkius lectionem traditam ἵκοντο δ' εἰς Ἐφύραν πλαχθέντες faciliore emendatione ad metrum restituit: ἵκοντο δ' εἰς Ἐφύραν πλάναισιν.

d. I VI (V) (72)

8. στρ. α' 8. *Αἴγιναν κάτα* | *σπένδειν*. 1l, 1p, 2br, 1ip, 1i. ⏑–́|––́⏑
31. στρ. β' 8. *φείσατο* | *χερσίν*.
52. στρ. γ' 5. *αὐτίκα* | *ἕζετο*. 2l, 1h, 1p, 1br, 1ih. ⏑–́|–́⏑⏑

a. I VII (VI) (51)

32. επ. β' 5. *Ἕκτορα* | *Ἀμφιάρηον*. 2l, 1ih. ⏑–́|–́⏑⏑ (100)
33. επ. β' 6. *Ἀμφιάρηόν τε* | *εὐανθέα*. 2br, 1ih. –́⏑|––́⏑⏑

a. I VIII (VII) (70)

15. στρ. β' 5. *τραφέντα* | *Αἰγίνᾳ*. 3p, 2br, 2ih. –́⏑|–́⏑–
35. στρ. δ' 5. *τυχοῖσα* | *υἱόν*.
18. στρ. β' 7. *βασιλέι* | *ὅ*. 1p, 5br, 1ih. ⏑–́|⏑–́–́⏑
20. στρ. β' 11. *ἁγεμόνα* | *σέ*. 2p, 4br, 1i. ⏑⏑–́|⏑–́–́⏑ (105)
11. στρ. β' 1. *ἀλλά* | *μοι*. 1l, 1p, 1p (c. elis.), 2br, 2i. –́⏑|⏒–́⏑
61. στρ. ζ' 1. *ἔσσυταί τε* | *Μοισαῖον*.

Enumeravimus 108 exitus imperfectos, 107 in tabula, unum in nota p. 18. Centum, ut diximus, Boeckhius Pindaro indulsit. Octo illorum, qui accedunt, Bergkius auctor est; tamen Bergkius 101 tantum praebet, quia sex exitus imperfectos Boeckhianos delevit, qui in tabula nostra insigniti sunt his numeris: 38, 41, 61, 101, 106, 107, et eum, quem p. 18 adnotavimus.

§ 4.

Primum colligamus ea carmina, quae nullum exitum imperfectum habeant: *d* **O** XI (21), *d* **O** XII (21), *a* **P** VIII (105), *d* **P** IX (130), *a* **P** XI (64), *d* **N** I (72), *a* **N** II (25), *d* **N** XI (48), *d* **I** I (68), *d* **I** II (48), *d* **I** V (IV) (70).

Haec undecim carmina continent versus 672. Numerus autem reliquorum carminum est 33 (si carmina **I** III et **I** IV, quoniam eodem metro composita sunt, in hac computatione tamquam unum carmen ponimus), quae continent versus 2777.

Cum autem cognoverimus paene quartam partem carminum et in iis satis longa aliquot nullum habere exitum imperfectum, suspicio oritur eos exitus imperfectos, qui in

longioribus carminibus solitarii extent, aut traditioni corruptae deberi aut falsae versuum constitutioni.

His autem locis exitus perfecti restituendi sunt libris ipsis commendantibus:

1) **N** IX 52. –́ ⏑ – – –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏒

ἅς ποθ᾽ ἵπποι κτησάμεναι Χρομίῳ πέμψαν θεμιπλέκτοις ἅμα

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – . . .

Λατοΐδα στεφάνοις . . .

Cum libri omnes praebeant in fine versus *ἀμφί*, quod nec metro nec sententiae conveniat, scholiasta autem *ἅμα* exhibeat, inde ab Erasmo Schmidio omnes editores *ἅμα* suo iure in textum receperunt: nisi quod debuerunt formam simul restituere doricam *ἁμᾶ* (vel ut alii scribunt *ἁμᾷ*), quae in optimis libris extat in finibus versuum

O III 21. . . . . . . *καὶ πενταετηρίδ᾽ ἁμᾶ*
N V 11. . . . . . . *χεῖρας ἁμᾶ*
N VII 78. . . . . . . *ἐλέφανθ᾽ ἁμᾶ*

metro autem flagitatur in medio versu

P III 36. . . . –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⌞ –́ ⏑ ⏒
. . . *πολλοὶ ἐπαῦρον, ἁμᾶ δ᾽ ἔφθαρεν·*

ubi scholiasta Herodiani auctoritate nisus doricam esse formam declarat. Pindarus autem et *ἅμα* et *ἁμᾶ* forma usus est; metro enim flagitatur *ἅμα* **O** VIII 45 et **N** X 72.

2) **O** VI 53. –́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⌞ ⏒

οὔτ᾽ ἰδεῖν εὔχοντο πεμπταῖον γεγεναμένον. ἀλλά

– –́ ⏑ – – –́ . . . .

κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ . . .

Codex optimus A metro et sensu invitis praebet *ἀλλ᾽ ἐκρύπτετο*, codices BC *ἀλλ᾽ ἐγκέκρυπτο*, unde Boeckhius, cui ex recentioribus obtemperarunt Mommsenus et Christius, optime effecit *ἀλλ᾽ ἐν* | *κέκρυπτο*. Hermannus autem, quem Bergkius secutus est, effinxit *ἀλλά* | *κέκρυπτο*: etsi non raro apud Pindarum praepositio a substantivo versus fine disiungitur, e. g. **O** X 21, XIII 108, **N** V 40, X 31, et a verbo, ut hoc loco, **O** VII 43 *ἐν δ᾽ ἀρετάν* | *ἔβαλεν καὶ χάρματ᾽ ἀνθρώποισι*.

3) **O** IX 44. ⏓́ ⏓ – ⏑⏑ – ⏑ –́ – – ⏑⏑ – ⏒

Πύρρα Δευκαλίων τε Παρνάσου καταβάντε

⏖́ ⏑ – ⏑ – ⏑ . . .

δόμον ἔθεντο πρῶτον . . .

Quamvis omnes editores et maior pars librorum patrocinentur duali *καταβάντε*, tamen cum optimo codice A et cum scholiis reponendus est pluralis *καταβάντες*. Pindarus enim participiorum formis pluralibus ibi quoque utitur, ubi verbum formam dualem habet, e. g. **O** II 86 *μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον.* Gravius est quod hoc loco ipsum quoque verbum pluralem formam habet. Ceterum Homeri, qui eadem libertate utitur, nostro simillimi sunt loci: *Π* 218 et *M* 265

. . . δύ᾽ ἀνέρε θωρήσσοντο

Πάτροκλός τε καὶ Αὐτομέδων ἕνα θυμὸν ἔχοντες·

et *Ἀμφοτέρω δ᾽ Αἴαντε κελευτιόωντ᾽ ἐπὶ πύργων*

πάντοσε φοιτήτην μένος ὀτρύνοντες Ἀχαιῶν.

4) **P** II 61. *χαύνᾳ πραπίδι παλαιμονεῖ κενεά* pro librorum lectione *κενεᾷ* coniecit Pauwius, cui obtemperarunt Hermannus collato **O** X 93 *κενεὰ πνεύσαις* (quod dictum est de eo, qui frustra laboravit), Boeckhius, Bergkius, Christius, quamquam scholiastae quoque *κενεᾷ* agnoscunt. Nec negari potest lectionem traditam *χαύνᾳ πραπίδι παλαιμονεῖ κενεᾷ* habere quo offendat: nam novi nihil additur, si *πραπὶς χαύνα* insuper *κενεά* appellatur; sed mendum non latere in *κενεᾷ*, verum in *χαύνᾳ* rectissime perspexit Mommsenus, qui collato **N** VIII 45 *κενεᾶν δ᾽ ἐλπίδων χαῦνον τέλος* scripsit:

χαῦνα πραπίδι παλαιμονεῖ κενεᾷ.

5) **P** VI 13. . . . – ⏑ – ⏑⏑ ⏒

. . . παμφόρῳ χεράδι.

Est vocabulum rarissimum atque apud Homerum *ἅπαξ εἰρημένον* *Φ* 318, ubi Scamander de Achille verba facit:

. . . . . κὰδ δέ μιν αὐτόν

εἰλύσω ψαμάθοισιν, ἅλις χέραδος περιχεύας

μυρίον.

sed iam antiqui grammatici ambigebant, utrum *παροξύτονον*

esset et genetivus feminini substantivi, quod est *ἡ χεράς*, an *προπαροξύτονον* et accusativus neutrius quod est *τὸ χέραδος*. Atque Aristarchus quidem voluit *χεράδος*, non secus atque iam antea Apollonius, qui in Argonauticis I 423 scripsit *βωμὸν χεράδος περινήνεον*. Tamen editores Homeri *προπαροξύτονον* retinuere *χέραδος*, quod commendatur adiectivo addito *μυρίον*, quippe quod non facile addi potuerit ad *ἅλις χεράδος*. Magni vero momenti illud est, quod scholiasta Homeri praecipit: *τὸ χέραδος οὐδέτερον προπαροξυτόνως ὡς κίναδος· καὶ Π ί ν δ α ρ ο ς δὲ τὴν δοτικὴν ἐξήνεγκε χ ε ρ ά δ ε ι ὡς μεγέθει*, quocum Etymologicum Magnum 808. 32 consentit et Eustathius, qui 1238 ex Pythionicis affert *χεράδι παμφόρῳ* simulque *χεράδει* legi posse addit. Quae omnia cum afferat Bergkius in adnotatione ad illum Pindari locum addita, rectissime censet *χεράδι* in Pindarum intrusum esse ab Aristarcho vel ab alio Alexandrino, qui in Homero *χεράδος* agnovisset. Atque genetivus substantivi *χέραδος* servatus est in tabulis Heracleensibus I 12 *χαράδεος*. Reddendum igitur est Pindaro

παμφόρῳ χεράδει.

6) **P** XII 3. – ⏒́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – – ⏒́ ⏑ – – ⏒́ ⏑ ⏓

ναίεις Ἀκράγαντος ἐύδματον κολώναν, ὦ ἄνα,

ita vulgo editur, quamquam codices PQR, quorum in hoc maxime carmine praestantia versu 7 conspicua est, ubi illi soli ex codicibus antiquis servant vocem *Γοργόνων*, quam reliqui omittunt, praebent *ὦ ἄναξ*: et exempla adsunt, quae demonstrent Pindarum vocativum modo *ἄναξ* modo *ἄνα* formasse. *ἄναξ* vocativus legitur in fine versus **N** X 77

. . . . *καὶ ἐμοὶ θάνατον σὺν τῷδ' ἐπίτειλον, ἄναξ,*

ὦ ἄνα in medio versu **P** IX 44

⏒́ ⏑ – – ⏒́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – – ⏒́ ⏑ ⏓

ἐξερωτᾷς, ὦ ἄνα; κύριον ὃς πάντων τέλος

idem sine *ὦ* particula **O** XIII 114

⏑⏑ ⊔ ⏒́ ⏑ – – ⏒́ ⏑ ⏓

ἄνα, κούφοισιν ἐκνεῦσαι ποσίν,

siquidem Boeckhio feliciter cessit coniectura.

Ab Homero quidem forma *ἄνα* cum interiectione *ὦ* coniungi solet, apud tragicos autem et comicos Atticos forma sollemnis est *ὦναξ*.

§ 5.

Saepe exitus imperfectus ortus est ex falsa versuum divisione cum alibi tum in eis carminibus, quae quoniam breviora sunt, quomodo in versus dirimenda essent, certo iudicari non poterat:

7) **O** IV 1. ⏖ – ⏑ – ⏑ ⏓

Ἐλατὴρ ὑπέρτατε

Bergkius cum versum primum esse vellet hunc, discessit a ceteris editoribus, qui recte constituerunt versum primum et parallelum versum 10 hoc modo:

⏖ –́ ⏑ – ⏖ ⌞ –́ ⏖ – ⏖́ ⌞ –́ ⏑ – ⏑ ⌞ –

Ἐλατὴρ ὑπέρτατε βροντᾶς ἀκαμαντόποδος Ζεῦ· τεαὶ γὰρ ὧραι
χρονιώτατον φάος εὐρυσθενέων ἀρετᾶν. Ψαύμιος γὰρ ἵκει

8) **O** IV 21.

ἅπερ Κλυμένοιο παῖδα

Ita versu primo epodi carminis unum systema continentis constituto omnes editores exitum imperfectum efficiunt, qui eo minus probabilis est, quod simul femininus est; nam in 108 exitibus imperfectis, quos enumeravimus, 24 exitus feminini sunt, quorum maior pars incerta. Versum autem optimum efficiemus, si conexuerimus versus 1 et 2:

⏑ –́ ⏖ – ⏑ – ⏑ –́ ⏖ – ⏑ ⌞ –

ἅπερ Κλυμένοιο παῖδα Λαμνιάδων γυναικῶν

9) **O** IV 26.

οὗτος ἐγὼ ταχυτᾶτι

Prorsus eodem modo versus longior concinnandus hic:

–́ ⏖ – ⏖ – ⏑ ⌞ –́ ⏖ – ⏖ –

οὗτος ἐγὼ ταχυτᾶτι χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον

10) **O** VII 16.

αἰνέσω πυγμᾶς ἄποινα

In omnibus quinque huius carminis epodis versus quintus cum sexto comprehendi uno versus longissimi corpore potest:

–́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏖ – ⏖ – ⏑ ⏖́ ⏑ – ⏓ –́ ⏖ – ⏖ ⏓

αἰνέσω πυγμᾶς ἄποινα | καὶ παρὰ Κασταλίᾳ πατέρα τε Δαμάγητον ἁδόντα Δίκᾳ
ἄνιχ' Ἁφαίστου τέχναισιν | χαλκελάτῳ . . . .
φαντὶ δ' ἀνθρώπων παλαιαὶ | ῥήσιες . . . .
παῖδας· ὧν εἷς μὲν Κάμειρον | πρεσβύτατον . . . .
ἔχρεον· μὴ κρύπτε κοινὸν | σπέρμ' ἀπό . . . .

In prima epodo secundus epitritus cadit in trochaeum more Pindari, quem infra capite tertio explicabimus. Noli autem haerere in versu longiore, qui 5 cola et 12 theses habeat; sane longiores ii sunt, quos editores agnoverunt **N** V str. 1:

– –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ ⌞ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏖ – ⏖ – – –́ ⏑ ⏓

qui complectitur 6 cola et 13 theses, et **P** I str. 6, qui habet 5 cola et 14 theses.

11) **O** IX 51.

ὕδατος σθένος ἀλλά

Versus cum sequenti iungendus est:

⏖ –́ ⏖ ⌞ ⌞́ ⌞ –́ – – ⏖ – ⏑ ⌞ ⌞́ ⏓

επ. α' 3. καὶ ἀγάνορος ἵππου | θᾶσσον καὶ ναὸς ὑποπτέρου παντᾶ
επ. β' 3. ὕδατος σθένος ἀλλὰ | Ζηνὸς τέχναις ἀνάπωτιν ἐξαίφνας
επ. γ' 3. δαμασιμβρότου αἰχμᾶς. | εἴην εὑρησιέπης ἀναγεῖσθαι
επ. δ' 3. μελέτα. σοφίαι μ ὰ ν | αἰπειναί. τοῦτο δὲ προσφέρων ἄεθλον

μάν coniecit Schmidius pro codicum lectione *μέν*. Pindarum quidem *μάν* particula eodem fere sensu ac *μέν* usum esse, librarios vero invito metro *μέν* scripsisse, utriusque rei testimonium est **N** X 29

–́ ⏑ – – –́ ⏑ ⌞ –́ ⏑⏑ – – –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓

Ζεῦ πάτερ, τῶν μὰν ἔραται φρενί, σιγᾷ οἱ στόμα·
πᾶν δὲ τέλος
ἐν τὶν ἔργων ....

ubi omnes libri in *μέν* lectione consentiunt.

12) **O** IX 77.

παραγορεῖτο μή ποτε

est versus primus epodi *γ'*, qui in omnibus epodis coniungi potest cum altero

⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ –́ | ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⌞ ⏓

επ. α'. *ἐγὼ δέ τοι φίλαν πόλιν | μαλεραῖς ἐπιφλέγων ἀοιδαῖς*
επ. β'. *νεωτέρων. λέγοντι μὰν | χθόνα ...*
επ. γ'. *παραγορεῖτο μή ποτε | σφετέρας ...*
επ. δ'. *ὁδῶν ὁδοὶ περαίτεραι, | μία δ' οὐχ ....*

13) **O** XIV 1.

Καφισίων ὑδάτων λαχοῖσαν αἵτε

Quod Boeckhius hunc versum ita constituit et versum parallelum antistrophae *ὦ πότνι' Ἀγλαΐα φιλησίμολπέ τ'*, id eo refellitur, quod versus desinere non potest in vocabulum elisione mutilatum. Recte igitur posteriores editores aut diviserunt post *ὑδάτων*, aut conexuerunt totum versum cum proximo:

– –́ ⏑ – ⏑⏑ – | ⏑ – ⏑̄ –́ ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⌞ ⏓

Καφισίων ὑδάτων | λαχοῖσαι, ταίτε ναίετε καλλίπωλον ἕδραν
ὦ πότνι' Ἀγλαΐα | φιλησίμολπέ τ' Εὐφροσύνα, θεῶν κρατίστου

In primi versus lectione stabilienda parui Bergkio et Christio, quia Boeckhii *λαχοῖσαν* traditum non est, id autem quod Mommsenus in adnotationum supplementis defendit,

⏑ – ⏑ – ⏑

λαχοῖσαι αἵτε

exemplis quae attulit et ipsis suspicioni obnoxiis **P** V 68 et **P** VIII 96 probari non potest, cum non satis firma sint, quibus demonstretur regulam illam violari posse, secundum quam vocalis longa aut diphthongus in exitu vocabuli corripi non potest nisi brevis syllaba aut antecedit aut sequitur.

14) O XIV 15.

Quod in libris manu scriptis extat

παῖδες ἐπάκοοι νῦν Θάλειά τε | ἐρασίμολπε,

metro adversatur, siquidem strophae versus parallelus hic est

– ◡◡ – ◡ – ◡ – ◡◡ – –

ὦ λιπάρας ἀοίδιμοι βασίλειαι | Χάριτες

nec minus sententiae, quod scholiastae quoque senserunt, qui supplent *ἐπήκοοι, γίνεσθε δηλονότι*, atque in uno codice C verbum *γίνεσθε* in textum irrepsit expulso vocabulo *νῦν*. Qua ratione ductus Bergkius verbum, quod deest, ita supplevit, ut ex *ἐπάκοοι* efficeret *ἐπακοοῖτε*, quo simul metrum restitueretur; in fine autem versus iam Boeckhius nomine tertiae Gratiae, ex Hesiodi versu theogoniae 909 *Ἀγλαΐην τε καὶ Εὐφροσύνην Θαλίην τ' ἐρατεινήν* cognito, quod unus etiam scholiastarum habet, reposito metrum redintegraverat. Itaque Bergkius quidem haec temptat: *παῖδες ἐπακοοῖτε νῦν Θαλία τε*; Boeckhius autem scholiastam secutus, qui ait *ἀπὸ κοινοῦ ἐπήκοοι γίνεσθε· ἔνιοι δέ φασιν πρὸς τὴν τρίτην Θάλειαν τοῦτο λέγεσθαι*, credidit imperativum, qui exciderit, singularem fuisse numero quidem ad solam Thaliam pertinentem, sed secundum sententiam de tribus Gratiis dictum, sicut *ἰδοῖσα* singulari numero additum sit, quamquam pertineat ad omnes tres deas. Itaque mavult:

παῖδες, ἐπάκοος γένευ Θαλία τε.

Sed haec vix Pindaro tribui possunt:

ὦ πότνι' Ἀγλαΐα φιλησίμολπέ τ' Εὐφροσύνα, θεῶν κρατίστου

παῖδες, ἐπάκοος γένευ, Θαλία τε

ἐρασίμολπε, ἰδοῖσα τόνδε κῶμον . . . .

Ferri quidem poterat *ἐπάκοός τε γένευ Θαλία*, sed *τε* post *Θαλία* addito figura *ἀπὸ κοινοῦ* fieri non potest. Primum autem quaerendum est, num iure forma Hesiodea *Θαλία* reposita sit invitis omnibus libris. Atque scholiasta quidem, qui formam nominis ex ipso Hesiodi versu, quem adnotat, sumere potuit, fidus testis non est. *Θάλεια* autem, quod libri praebent, auctore Hesiodo quidem Musae nomen est, th. 77:

Κλειώ τ' Εὐτέρπη τε Θάλειά τε Τερψιχόρη τε
Sed cum Apollodorus I 3, 1 et Plutarchus c. princ. phil. 3 Gratiam ita appellent, consentaneum est Pindarum quoque tertiam Gratiam appellare potuisse *Θάλειαν*. Accedit aliud: Pindarus enim locis parallelis in eodem vocabulo sonove repetito egregie se delectat: conf. e. g. **O** VII *επ. α'* 6 *πατέρα*, *επ. β'* 6 *πατέρος*, **P** IV *στρ. α'* 7 *εὐάρματον*, *στρ. β'* 7 *εὐεργέται*, *στρ. δ'* 7 *εὐδείελον*, **I** V (IV) *στρ. α'* 2 *ἕκατι*, *αντ. β'* 2 *ἕκατι*, *επ. α'* 6 *Φυλακίδᾳ*, *επ. γ'* 6 *Φυλακίδᾳ*. *Θάλεια* autem respondet vocabulo strophae *βασίλειαι*. Quamobrem veri non est dissimile Pindarum vocabulum *Θάλεια* ita posuisse, ut in antistropha eundem locum teneret, quem in stropha tenet *βασίλειαι*. Quod si verum est, versus alter et tertius coniungendi sunt, *τε* inter vocabula *Θάλεια* et *ἐρασίμολπε* eliso

–́ ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ –́ ⏑⏑ – ⏒ ⏑́⏑ ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ –́ ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ –

στρ. ὦ λιπαρᾶς ἀοίδιμοι βασίλειαι Χάριτες Ὀρχομενοῦ
παλαιγόνων Μινυᾶν ἐπίσκοποι,
αντ. παῖδες ἐπάκοοι ⏑ – ⏑ *Θάλειά τ' ἐρασίμολπε, ἰδοῖσα*
τόνδε κῶμον ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ

Syllaba anceps in fine coli, qua eiusdem carminis versus 1 insignis est (cf. 12), alibi quoque non rara est in strophis logaoedicis, cf. **O** IX ep. 8

– –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ – ⏑⏑ – ⏒ –́ ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ ⌞ ⏓

et **P** X str. 3

⏑ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏒ –́ ⏑⏑ ⌞ ⏓

Quid in lacuna interciderit, vix certe dici potest, *νῦν*, quod libri habent, non necessarium, cum sequatur *ἰδοῖσα τόνδε κῶμον*, fortasse insiticium est. Verisimillimum autem mihi esse videtur intercidisse *γένεσθε* et scholiastas, quos nos habemus ad hunc locum, Byzantinos, qui in libris non legerent *γένεσθε*, idem in scholiis antiquioribus legerent, rem ita intellexisse, quasi *γένεσθε* illud cogitando supplendum esset. Praeterea autem vitium inesse suspicor in epitheto languido *ἐρασίμολπε* tertiae Gratiae, cum altera nominaretur *φιλησίμολπε*. Collato igitur **P** IV 136 *Τυροῦς ἐρασιπλοκάμου* scri-

bendum esse conicio *ἐρασίκολπε*, epitheton aptum eius Gratiae, quae *Θάλεια* i. e. florida appellatur, siquidem *ἐρασιπλόκαμος* et *ἐρασίκολπος* significare possunt *ἐρατεινοὺς πλοκάμους ἔχων* et *ἐρατεινὸν κόλπον ἔχων*, nam *ἐρασιπλόκαμος* haud minus apte explicari potest *πλοκάμων ἐρῶν*, ita ut *ἐρασιχρήματος* significare debet *χρημάτων ἐρῶν*. De *ἐρασίπτερος*, quod Nonnus de Iove sub aquilae forma Ganymedem rapiente dicit, *Κρονίδης ἐρασίπτερος ὄρνις Ἐρώτων*, dubitari potest, sed verisimilius explicatur *ἐρατεινὰ πτερὰ ἔχων*, quam *ὑπ' ἔρωτος πτερὰ κινῶν*, quia *Ἐρώτων* additum est. *Κόλπος* autem eo, quo conieci, sensu in altera parte compositi extat in *βαθύκολπος* et *εὔκολπος*. Itaque versus alter antistrophae sic videtur esse restituendus:

παῖδες, ἐπάκοοι γένεσθε, Θάλειά τ' ἐρασίκολπε, ἰδοῖσα
τόνδε κῶμον ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ

15) et 16) **O** XIV 19.

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ –́ ⏑⏑ – – –́ ⏑ – ⏓

αντ. 7 *οὔνεκ' Ὀλυμπιόνικος ἁ Μινυεία σεῦ ἕκατι*
et *στρ.* 7 *εἰ σοφὸς εἰ καλὸς εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ. οὔτε γὰρ θεοί*

⏑ – – ⏑⏑ . . . .

αντ. 8 *μελαντείχεα* . . . .
στρ. 8 *τὶ σεμνᾶν Χαρίτων* . . . .

Hoc modo si versus cum Boeckhio dispesces, non solum exitus imperfectus in antistropha offendet, sed multo magis encliticum *τί*, quod a nullo libro traditur, in initio versus positum. Incidendum autem esse post *Μινυεία* omnes recentiores intellexerunt:

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ –́ ⏑⏑ └ –

στρ. 7 *εἰ σοφὸς εἰ καλὸς εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ*
αντ. 7 *οὔνεκ' Ὀλυμπιόνικος ἁ Μινυεία*

Improbanda est correctio Bergkii *Μινύεια*, quippe qua novus inferatur exitus imperfectus, quamquam omnes libri praeter C proparoxytonon tradunt. Sed per se quoque *Μινύεια* reiciendum est, cum femininum sit adiectivi in *-ος Μινύειος*, Pindarus autem ea tantum feminina in *-εια* more Aeolico et

Attico proparoxytona vel properispomena admittat, quae derivantur ab adiectivis in -ης, velut *ἀλήθεια*, *Ἀτρέκεια* etc., aut a masculinis in -υς, velut *θήλεια* a *θῆλυς*, *θάλεια* a **θάλυς* (?), *γλυκεῖα* a *γλυκύς*, etc.

17) **P** VII 19.

⏖́ ⏑ – ⏑⏑ ⌞ ⏖́ ⏑ – ⏑

φθόνον ἀμειβόμενον τὰ καλὰ ἔργα | *φαντί γε* . . .

Qui versus cum sit tertius epodi carminis, quod ex uno systemate constat, nihil obstat quominus aliter dividamus versus, e. g. sic:

⏖́ ⏑ – ⏑⏑ ⌞ ⏖́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑⏑ –

φθόνον ἀμειβόμενον τὰ καλὰ ἔργα. φαντί γε μάν

– –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑⏑ –

οὕτω κεν ἀνδρὶ παρμονίμαν

– –́ ⏑ ⌞ –́ ⏑⏑ –

θάλλοισαν εὐδαιμονίαν . . .

Quod si recte proposuimus, elucet, quam fallax indicium versuum dividendorum sit interpunctio.

18) **N** VIII 16.

–́ ⏑ – – –́ ⏑⏑ ⌞ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⌞ ⏓

Δείνιος δισσῶν σταδίων καὶ πατρὸς Μέγα Νεμεαῖον ἄγαλμα

Versus finis statuendus est post *Μέγα*, verba autem quae sunt *Νεμεαῖον ἄγαλμα* versui proximo praefigenda, quod in omnibus epodis fieri potest:

v. 6 –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ ⌞ –́ ⏑ – ⏑ –́

επ. α΄ Δείνιος δισσῶν σταδίων καὶ πατρὸς Μέγα
επ. β΄ αἱμύλων μύθων ὁμόφοιτος, δολοφραδής
επ. γ΄ νώδυνον καί τις κάματον θῆκεν. ἦν γε μάν

v. 7 ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏓ –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⌞ –

επ. α΄ Νεμεαῖον ἄγαλμα. σὺν θεῷ γάρ τοι φυτευθείς
επ. β΄ κακοποιὸν ὄνειδος. ἃ τὸ μὲν λαμπρὸν βιᾶται
επ. γ΄ ἐπικώμιος ὕμνος δὴ πάλαι, καὶ πρὶν γενέσθαι

De constitutione metrica, quam supposuimus, in altero capite disseremus.

19) **I** IV 14 (III 32). –́ ⏖ – ⏖ – ⏓

επ. α′ 2. ἱπποτρόφοι τ᾽ ἐγένοντο

Versus alter in omnibus epodis carminum III et IV iungi potest cum tertio, nam in epodo carminis III hiatus impeditur digammate verbi *ἴστε*:

–́ ⏖ – ⏖ – ⏓ | –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ ⏓

III. *επ.* 2 *σύμφυτον οὐ κατελέγχει.* | (*ϝ*)*ἴστε μὰν Κλεωνύμου*
IV. *επ. α′* 2 *ἱπποτρόφοι τ᾽ ἐγένοντο* | *χαλκέῳ τ᾽ Ἄρει ἅδον.*
επ. β′ 2 *πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι.* | *τῶν τε γὰρ καὶ τῶν διδοῖ·*
επ. γ′ 2 *ἀλλ᾽ ὀνοτὸς μὲν ἰδέσθαι,* | *συμπεσεῖν δ᾽ ἀκμᾷ βαρύς.*
επ. δ′ 2 *γίνεται ἰσχύος ἔργον.* | *ἔνθα λευκωθεὶς κάρα*

Tripodia dactylica in prima epodo carminis IV exiens in trochaeum, id quod quaestione III demonstrabitur, indicium est carmina III et IV dividenda esse, quod recte fecit Bergkius. Idem autem fit in primo versu strophae, qui in utraque stropha carminis III et in septem strophis carminis IV inde ab antistropha *α′* usque ad antistropham *δ′* hanc formam habet:

–́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – –

in una tantum stropha IV *α′* (III *β′*) hanc:

–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑

Ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾶ κέλευθος

20 et 21) **P** V 80 et 111
apud Bergkium hi sunt:

– –́ ⏓

80 *Καρνεῖε*
111 *γλῶσσάν τε*

Quamquam concedendum est in carmine **P** V exitus imperfectos crebros esse (in 124 versibus 8 occurrunt), tamen hoc interest, quod octo illi exitus imperfecti masculini sunt, ii autem, quos Bergkius constituit, feminini, quo accedit, quod in omnibus exitibus imperfectis nullus est vocativus in -*ε*, atque omnino rarum est -*ε*, nisi in particulis *ποτέ* et *τέ*.

Praeterea autem eo offendimur, quod Bergkius v. 81 incohari vult ab enclitica elisa *σ' ἐν δαιτὶ σεβίζομεν.* Difficillimum quidem est ad explorandum, quo modo versus 7 et 8 strophae constituendi sint, cum quattuor ex octo versibus parallelis corrupti in libris tradantur. Sunt autem hi versus certi et ab omnibus editoribus recepti, nisi quod Boeckhius et Bergkius malunt *ἀπὸ βαθμίδων*

– –́ ⏑ ⌞ –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓ | ⏑ –́ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ ⏓

στρ. α' 7 *αἰῶνος ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο* | *σὺν εὐδοξίᾳ μετανίσεαι*
στρ. β' 7 *ἄμειψεν ἐν κοιλόπεδον νάπος* | *θεοῦ· τό σφ' ἔχει κυπαρίσσινον*
αντ. δ' 7 *γλῶσσάν τε· θάρσος τε τανύπτερος* | *ἐν ὄρνιξιν αἰετὸς ἔπλετο·*

et cum levi correctione ex *αἰδοιέστατον* librorum

αντ. α' 7 *ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον γέρας,* | *τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί·*

Post *ἄπο* finis versus statuendus, nisi cum Bergkio corrigere volumus *στρ. α' ἀπὸ βαθμίδων* et *στρ. γ'* verba tradita

τῷ καὶ Λακεδαίμονι ἐν Ἄργει τε καὶ ζαθέᾳ Πύλῳ

in hunc ordinem redigere:

τῷ καὶ ζαθέᾳ Πύλῳ ἐν Ἄργει τε καὶ Λακεδαίμονι

(ubi Bergkius hiatum construit *Πύλῳ ἐν*, qui quamvis excusari possit, tamen mutatione satis audaci non commendatur), et *στρ. δ'* pro *χεύμασιν* scribere *χευμάτεσσ'*, et *αντ. δ'* pro *τανύπτερος* nominativo singulari *τανυπτέροις* dativum pluralem, quae mutatio ipsa sententia non flagitatur.

Metrum igitur hoc in corruptis versibus restituendum est:

– –́ ⏑ ⌞ –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓ | ⏑ –́ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ ⏓

a) *αντ. β'* 7 libri habent *μνημήϊον* (vel *μναμήϊον*). *ἐν τεσσεράκοντα γάρ*, ubi forma ionica mira est, verum defendi videtur altera forma ionica:

b) *στρ. γ'* 7 *μαντήϊον· τῷ καὶ Λακεδαίμονι*

Sed neuter versus id metrum continet, quod desideratur, prior autem metrum verum recipit, si forma regularis restituitur

μναμεῖον, alter si praeterea cum Christio relativo forma datur *ᾧ*. Scribendum igitur

μναμεῖον ἐν τεσσεράκοντα γάρ

et *μαντεῖον· ᾧ καὶ Λακεδαίμονι*

c) *αντ. γ'* 7 libri habent *Καρνεῖ' ἐν δαιτὶ σεβίζομεν* ubi metri causa viri docti eundem ionismum inferre conati sunt *Καρνήϊ', ἐν δαιτὶ σεβίζομεν* in cognomine Apollinis praecipue dorico. Vera autem mihi esse videtur hoc loco emendatio Bergkii, si verba ab eo constituta in unum versum coniungimus:

πολύθυτον ἔρανον·
ἔνθεν ἀναδεξάμενοι,
Ἄπολλον, τεᾷ
Καρνεῖέ σ' ἐν δαιτὶ σεβίζομεν
Κυράνας τ' ἀγακτιμέναν πόλιν.

d) *στρ. δ'* 7 libri tradunt

ῥανθεισᾶν (vel *ῥανθεῖσαν*) *κώμων θ' ὑπὸ χεύμασιν*

Optime de hoc loco disseruit Mommsenus in adnotatione, qui locum corruptum sic restituens plausum tulit Christii:

(*πρόγονοι Ἀρκεσίλα*) . . . *μεγάλαν δ' ἀρετάν*

δρόσῳ μαλθακᾷ
ῥανθεῖσαν ὕμνων ὑπὸ χεύμασιν
ἀκούοντί ποι χθονίᾳ φρενί,
σφὸν ὄλβον, υἱῷ τε κοινὰν χάριν
ἔνδικόν τ' Ἀρκεσίλᾳ.

Bergkius autem illius *ῥανθεισᾶν* causa versum, quem septimum numerat, constituit – ⏑́ ⏒, quamquam *σφὸν ὄλβον*, quod epexegetico more additur ad *μεγάλαν ἀρετάν*, docet *μεγαλᾶν ἀρετᾶν ῥανθεισᾶν* improbandum esse. Altera quoque emendatione, *ὕμνων* pro *κώμων θ'*, cuius Beckius auctor est, non solum metrum restituitur, sed etiam sententia; nam *δρόσος μαλθακή* multo aptius de carminibus (*ὕμνοι*) dicitur quam de comissationibus (*κῶμοι*), cf. N IX 49. **P** I 98. N IV 4. **I** II 8.

Ut omnia, quae singillatim exposui, complectar, versum 7 in octo strophis sic restituendum esse arbitror:

–́ ⏑ ⊔ –́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓

στρ. α΄ αἰῶνος | ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο
αντ. α΄ ὀφθαλμὸς | αἰδοιότατον γέρας
στρ. β΄ ἄμειψεν | ἐν κοιλόπεδον νάπος
αντ. β΄ μναμεῖον. | ἐν τεσσαράκοντα γάρ
στρ. γ΄ μαντεῖον· | ᾧ καὶ Λακεδαίμονι
αντ. γ΄ Καρνεῖέ | σ᾽ ἐν δαιτὶ σεβίζομεν
στρ. δ΄ ῥανθεῖσαν | ὕμνων ὑπὸ χεύμασιν
αντ. δ΄ γλῶσσάν τε· | θάρσος δὲ τανύπτερος

Post tertiam syllabam Pindarus caesuram retinuisse videtur, aeque atque in eodem carmine str. 4΄

⏖́ ⏑ ⏀́ ⏑ ⏓

ubi de divisione versus quaestio esse non potest, post quartam syllabam septies caesura facta est in octo strophis. Illud quoque memorari attinet, in stropha *β΄* Pindaro in altera syllaba diphthongum *ει* in *ἄμειψεν* occurrisse, quae tantopere ei placuit, ut in quattuor quae sequuntur strophis eadem diphthongo in eadem sede uteretur. Qua de causa non assentior Bergkio, qui formas aeolicas *μναμῆον* et *μαντῆον* ex formis ionicis traditis *μνημήϊον* et *μαντήϊον* elicuit. Licet autem suspicari formas ionicas ita irrepsisse, ut in *αντ. β΄* vitio orto *μναμεῖα* hiatus removendi et metri redintegrandi causa scriberetur *μναμήϊ᾽ ἐν κτλ.* (vel *μνημήϊ᾽ ἐν*) quod praebent codices DEFH et scholia, tum autem formam ionicam illatam esse in eos quoque libros, qui retinuerant singularem, itaque legi in libris BCPQRS etc. *μναμήϊον* vel *μνημήϊον*. Singularem autem genuinum esse non pluralem, quamquam uterque sententiae aptus est, eo quoque probabile est, quod singularis numerus assonantiae, qua Pindarum gaudere hoc loco vidimus, magis satisfacit, nam stropha proxima habet *μαντεῖον*: quamquam vereor ne assonantiae nimium tribuisse nonnullis viris doctis videar.

22) I VII (VI) 33. –́ ⏑⏑ ⊔ ⊔́ ⏓

Ἀμφιάρηόν τε

Ex hoc versu Bergkius exitum imperfectum expulit me-

tro audacter correcto et duobus reliquis versibus parallelis ad huius exemplum conformatis, cum ederet:

⏒ – ⏑⏑ – ⏓

ἀν᾽ Ἀμφιάρειον

Causae, quas affert, hae sunt: v. 26—30 laudato eo, qui pro patria moritur, pergit Pindarus v. 31 sic:

τὺ δέ, Διοδότοιο παῖ, μαχατάν
αἰνέων Μελέαγρον, αἰνέων δὲ καὶ Ἕκτορα
Ἀμφιάρηόν τε
εὐανθέ᾽ ἀπέπνευσας ἁλικίαν
στρ. γ´ προμάχων ἀν᾽ ὅμιλον, ἔνθ᾽ ἄριστοι
ἔσχον πολέμοιο νεῖκος ἐσχάταις ἐλπίσιν.

Meleager et Hector patriam defendentes pugnaverunt, Amphiaraus autem Thebas cum Adrasto oppugnans mortuus non recte componitur cum Meleagro et Hectore ad laudem propugnatoris et defensoris patriae illustrandam. Scholia vero nomen Amphiarai non exhibent. Itaque Bergkius censuit latere in hoc versu nomen proprium eius loci, ubi filius Diodoti occiderit, quod coniectura assecutus est *ἀν᾽ Ἀμφιάρειον*. Cuius audaciam ferre possemus, si pugnam ibi commissam esse a Thebanis sciremus. Sed nec quicquam traditum est de hac pugna, neque verum est Amphiarai nomen ineptum esse, dummodo tertium comparationis non in defensione patriae sed in fortitudine praecellenti quaeramus *προμάχων ἀν᾽ ὅμιλον*. De virtute autem Amphiarai conferenda sunt, quae Pindarus Adrastum dicere fingit mortuo Amphiarao O VI 16:

Ποθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς
ἀμφότερον μάντιν τ᾽ ἀγαθὸν καὶ δουρὶ μάρνασθαι.

Quod autem scholio nomen Amphiarai non contineri ait Bergkius, haec omissio multo facilius explicatur, si duobus nominibus propriis tertium additum est, quam si nomen loci in libris antiquis extitisset. Accedit quod locus pugnae non apte exprimitur verbis *ἀν᾽ Ἀμφιάρειον*, si in eodem enuntiato adicitur *προμάχων ἀν᾽ ὅμιλον*.

Epodorum autem *α´* et *γ´* versus parallelos hoc modo constituit Bergkius:

επ. α΄ 6 ⏓ –́ ⏖ – ⏓

ἀλλ᾽ ἁ παλαία γάρ

pro codicum lectione ἀλλὰ παλαία γάρ

et επ. γ΄ 6 τεαῖσιν ἁμίλλαις

pro codicum lectione τεαῖσιν ἁμίλλαισιν

(quod ut reliquis versibus parallelis, quales traditi sunt, respondeat, per synizesin in primo vocabulo τεαῖσιν pronuntiandum est, nisi scribere malis σαῖσιν, quod Mommsenus ob cacophoniam hoc loco evitatum esse putat). Bergkius autem insuper metricam licentiam introducit in επ. α΄ 6, ubi παλαία syllabis anapaestum effici vult, cuius usus tria*) tantum exempla extant **O** XIII 78 Γαϊαόχῳ, **P** IV 233 αἰόλει et incertum **N** IV 17 Κλεωναΐου.

Concedendum est Bergkio metrum versus 6 mire cadere in duas syllabas longas et unam ancipitem, id quod in carminibus aeolicis admodum rarum est; nam certa exempla deprehenduntur haec pauca:

P XI str. 1 – –́ ⏑ – ⏖ – ⏖ – ⏖ – ⏑ ⌞ ⌞́ ⏓

et tria in epodo **O** IX, cuius metra non solum hac in re maxime recedunt a ceteris carminibus

O IX ep. 4 – –́ – – ⏖ – ⏑ ⌞́ ⌞ ⏓

ep. 5 –́ ⏖ – – ⌞́ ⌞ –

ep. 7 – –́ ⏑ – ⏖ – ⏖ ⌞ ⌞́ ⏓

Quae causa num sufficiat ad corrigendos versus, diiudicare non audeo: nam exitus imperfectus in τε corroboratur eodem exitu **O** I 62 νέκταρ ἀμβροσίαν τε qui vix removeri potest. Metrum autem usitatum restitui possit, si versus 6 cum sequenti iungatur, quod fieri potest, si επ. α΄ 6 scribitur ἀλλὰ παλαία γ᾽ εὕδει χάρις pro librorum παλαία γάρ et in επ. γ΄ 6 dativus ἁμίλλαις pro ἁμίλλαισιν. Tum metrum hoc sit:

–́ ⏖ – – ⌞́ – ⏖ ⌞ –́ ⏑ – ⏖ ⏓

επ. α΄ ἀλλὰ παλαία γ᾽ εὕδει χάρις ἀμνάμονες δὲ βροτοί

επ. β΄ Ἀμφιάρηόν τ᾽ εὐανθέ᾽ ἀπέπνευσας ἁλικίαν

επ. γ΄ τεαῖσιν ἁμίλλαις εὐανθέα καὶ Πυθόϊ στέφανον.

---

*) Nam **P** IX 105 Bergkii coniectura admodum incerta est.

Apta est haec mensura eo quoque, quod syllaba illa, quae in omnibus epodis $\overline{\varepsilon\upsilon}$ diphthongo efficitur, ad trium morarum tempus extenditur. Versus strophae quintus praebet exempla ultimi pedis coli spondaici, quem nostra mensura recepimus:

–́ – – ⏑⏑ – ⏑ – – –́ ⏑⏑ – ⏑ – ⏑̄ –́ ⏑ – ⏑⏑ ⏓

23 et 24) I VIII (VII) 11, 61

στρ. β′ 1 *ἀτόλματον Ἑλλάδι μόχθον. ἀλλά*

στρ. ζ′ 1 *τὸ καὶ νῦν φέρει λόγον, ἔσσυταί τε*

Versus primus strophae cum altero coniungendus est, maxime ideo, quod post *ἀλλά* sequitur pronomen encliticum *μοί* et quod *στρ. δ′* 1 exit in particulam *δέ* elisam

ἐπεὶ θεσφάτων ἐπάκουσαν· εἶπε δ᾽ | *εὔβουλος*

Lectione tradita non impeditur coniunctio in his strophis:

⏑ –́ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ ⌞ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑⏑ ⏓

στρ. α′ Κλεάνδρῳ τις ἁλικίᾳ τε λύτρον εὔδοξον, ὦ νέοι, καμάτων

στρ. β′ ἀτόλματον Ἑλλάδι μόχθον. ἀλλ᾽ ἐμοὶ δεῖμα μὲν παροιχομένων

στρ. δ′ ἐπεὶ θεσφάτων ἐπάκουσαν· εἶπε δ᾽ εὔβουλος ἐν μέσοισι Θέμις

στρ. ζ′ τὸ καὶ νῦν φέρει λόγον ἔσσυταί τε Μοισαῖον ἅρμα Νικοκλέος

In stropha *ε′* versus restituitur scribendo *εὐθύ* pro *εὐθύς*: *ἰόντων δ᾽ ἐς ἄφθιτον ἄντρον εὐθὺ Χείρωνος αὐτίκ᾽ ἀγγελίαι*, quod facile fit, nam sententia localis, quae inest in *εὐθύ*, huic loco aeque apta est ac sententia temporalis, quae inest in *εὐθύς*. In stropha *γ′* pro librorum *ἐνεγκὼν κοιμᾶτο* emendandum est cum Bergkio *φέρων ἐκοιμᾶτο*:

σὲ δ᾽ ἐς νᾶσον Οἰνοπίαν φέρων ἐκοιμᾶτο, δῖον ἔνθα τέκες

In ea quae superest stropha *ς′*, ubi legimus:

⏑ –́ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑́⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑⏑ –

γεφύρωσε τ᾽ Ἀτρεΐδαισι νόστον, Ἑλέναν τ᾽ ἐλύσατο, Τρωΐας

eo loco, quo in reliquis strophis trisemam longam posuimus, extant duae breves, priores syllabae vocis *Ἑλέναν*. Vetat

autem lex notissima, ne longa trisema solvatur in duas breves. Quae causa videtur fuisse, cur neque Mommsenus neque Christius versus auderent coniungere. Possunt vero longae trisemae vicem gerere duae breves tum, cum ante priorem brevem constanter vocabulum finitur: tum enim longae trisemae substituitur pausa unius morae et duae breves

└─

∧ ⏑⏑

Atque id in versu quinto factum esse negari vix potest, ubi in hoc metro

. . . . –́ ⏒ – ⏑⏑ – ⏑ ⏖ – ⏑ └ ⏓

ter solvitur thesis quarta, quater non solvitur, sed ita ut, si solvitur thesis, ante eam verbum finiatur, quod idem in primo versu fit ante *Ἑλέναν*.

Itaque cola versuum ita dimetimur, ut pausa illa ante initium coli incidat:

v. 1 ⏑ –́ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ └─ (∧⏑⏑) – ⏑ – ⏑ – ⏑⏑ ⏓

et

v. 5 . . . . –́ ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ └─ (∧⏑⏑) – ⏑ └ ⏓

στρ. α′ Μοῖσαν. ἐκ μεγάλων δὲ | πενθῶν λυθέντες
στρ. β′ χρὴ δ᾽ ἐν ἑπταπύλοισι | Θήβαις τραφέντα
στρ. γ′ σώφρονές τ᾽ ἐγένοντο | πινυτοί τε θυμόν,
στρ. δ′ παύσατε· βροτέων δὲ | λεχέων τυχοῖσα
στρ. ε′ νεῦσαν ἀθανάτοισιν | ἐπέων δὲ καρπός
στρ. ϛ′ Αἴγϊναν σφετέραν τε | ῥίζαν πρόφαινεν.
στρ. ζ′ πατραδελφεοῦ· ἀλί-|-κων τῷ τις ἁβρόν

Semel igitur (in stropha ζ′) verbum continuatur ex priore in alterum colum, sed non hic versus solus obstat, quominus versum dividamus, sed etiam tres illi, qui ante caesuram exitum imperfectum habent, *α′ δέ, γ′ ἐγένοντο, ϛ′ τέ.*

Quibus ex locis videmus, quae differentia intercedat inter eam pausam errhythmam, quam hoc loco in medio versu deprehendimus (cf. II § 3, 3), quae certum temporis spatium expleat, neque syllabam ante se positam producat (ideo exitus imperfectos ante eam ponere licet), et pausam arrhythmam, quam in fine versuum esse conicimus. Ante eam enim ul-

timam versus syllabam, quae thesis semper est, constanter paulum productam esse inde apparet, quod exitus imperfecti, qui productionem non admittunt, ibi evitantur.

§ 6.

Ex 24 quos tractavimus locis cum confidenter correxerimus 22, quinque carmina iis adnumerare licet, quae exitum imperfectum reformident: *a* **O** IV (30), *d* **O** VII (95), *a* **P** VI (54), *a* **P** VII (22), *d* **I** III IV (90). Carent igitur omnino 17 carmina exitu imperfecto. Nunc 27, quae remanent, percenseamus. Atque primum quidem ea carmina seponamus, in quibus exitus imperfectos consulto positos esse inde concludas, quod complures in versibus parallelis occurrunt. Quae sunt, numero exituum imperfectorum diviso per numerum versuum addito: *a* **O** X $\frac{13}{110}$, *d* **O** XIII $\frac{5}{110}$, *a* **P** II $\frac{3}{96}$, *d* **P** III $\frac{5}{115}$, *d* **P** IV $\frac{8}{299}$, *a* **P** V $\frac{8}{124}$, *a* **P** X $\frac{3}{77}$, *a* **N** III $\frac{5}{80}$, *d* **N** V $\frac{3}{54}$, *d* **N** X $\frac{2}{90}$, *d* **I** V (IV) $\frac{3}{72}$, *a* **I** VIII (VII) $\frac{4}{70}$, numero 12. Remanent 15 carmina **O** I, **O** II, **O** III, **O** V, **O** VI, **O** IX, **O** XIV, **P** I, **P** XII, **N** IV, **N** VI, **N** VII, **N** VIII, **N** IX, **I** VII (VI), quae continent exitus imperfectos 23. Perlustremus igitur singulos locos ita, ut primum quaeramus, num lectio tradita sententiae sufficiat, deinde num aliis locis idem vocabulum vel eiusdem generis vocabulum in fine versus positum sit et in natura vocalis exeuntis excusatio praesto sit.

1) **O** I 62 ⏓́ ⏑ – ⏖ ⏗ ⏓

νέκταρ ἀμβροσίαν τε

Post versum bis fit hiatus, ideoque cum sequenti iungi non potest; versus autem paralleli octo exeunt in longam, unde apparet exitum brevem poetam non quaesivisse.

τέ bis in exitu masculino positum est: **O** X 59 *νικαφορίαισί τε*, ubi exitus versuum parallelorum sunt 2 p, 2 br, 1 i, et **P** III 94 *ἕδνα τε*, ubi exitus versuum parallelorum sunt 6 l, 1 h, 1 p, 2 i, si quidem *θαμά* (v. 78) ultimam brevem habet neque codicis R *θαμᾶ* est recipiendum. **O** X 59 exitus imperfectus non offendit, cum quia versus paralleli ha-

bent quattuor exitus breves, tum quia carmen **O** X imperfectis exitibus obsitum est, **P** III 94 vero offendit, quod 7 versus paralleli in longam exeunt. Nec minus offendit *τέ* **I** VII 33 in exitu feminino *Ἀμφιάρηόν τε*, qui simillimus ei est de quo agimus *νέκταρ ἀμβροσίαν τε*, quem vidimus nisi audacibus coniecturis removeri non posse. Certum autem est *ε* finalem vocabulorum *τέ* et *ποτέ* in usu Pindarico aliter tractari atque *ε* finalem ceterorum vocabulorum, cf. de *ποτέ* paulo infra sub 7) **O** III 13.

2) **O** I 86 – –́ ⏖ – ⏑ ⌊ –́ ⏑ – ⏑ ⏓

επ. γ' 6 *ὥς ἔννεπεν· οὐδ' ἀκράντοις ἐφάψατο*

⏖́ ⏑ – ⏖ – – . . . .

ἔπεσι τὸν μὲν ἀγάλλων . . .

Cum in reliquis tribus epodis versus sextus in longam exeat, Byzantini versum cum sequenti coniunxere, utque idem facerent in epodo tertia, inseruere *ὢν* post *ἐφάψατο*, quod Boeckhio placuit.

Habemus autem versus in terminationem verbalem *-το* exeuntes sex, ubi exitus brevis quaesitus esse videtur, quia exitus longi ibi rari sunt:

O II 110 *δύναιτο*, ubi sunt 1 h, 1 p, 2 br, 1 i.
O X 25 *ἐκτίσσατο*, ubi sunt 1 l, 1 p, 5 br, 3 ih.
P II 36 *παρελέξατο*, ubi sunt 1 l, 1 h, 1 p, 4 br, 1 ip.
P IV 224 *σκίμψατο*, ubi sunt 3 l, 3 p, 2 br, 3 i, 2 ih.
P V 112 *ἔπλετο*, ubi sunt 1 h, 2 p, 2 br, 1 ip, 1 i, 1 ih.
I VI (V) 37 *φείσατο*, ubi sunt 1 l, 1 p, 2 br, 1 ip, 1 i.

Contra **N** VI 25 *γένετο* unicum exitum imperfectum in carmine 62 versuum secundum scholion infra docebimus corrigendum esse. Itaque cum verisimile non sit *ἐφάψατο* clausisse versum **O** I 86, aut amplectendum otiosum Byzantinorum emblema cum Boeckhio est, aut scribendum *ἐφάπτεται*. Quod Mommsenus quidem versus 6 et 7 coniungit ultimam syllabam verbi *ἐφάψατο* produci posse ratus ante digamma vocis *ἔπεσι*, id concederem, nisi de longa trisema ageretur

– –́ ⏖ – ⏑ ⌊ –́ ⏑ – ⏑ ⌊ ⏖́ ⏑ – ⏖ ⌊ –́ ⏑ ⏓

. . . *ἐφάψατο ἔπεσι*.

3) **O** II 25 . . . – ⏑́ ⏑ – ⏑́⏑ ⏑ ⏒

. . . *πένθος δ' ἐπίτνει βαρύ* | *κρεσσόνων*

ubi sunt 6 l, 3 h, 1 ip. Respondet igitur ille exitus in -*υ* 9 exitibus longis, unde, cum corrigi non possit, verisimile fit -*υ* finalem in fine versus productam esse. Altera -*υ* in fine versus apparet **P** II 79, *βαθύ* | *σκευᾶς*, ubi exitus sunt 6 p, 1 ip et 1 ih v. 31 *ὅτι* | *ἐμφύλιον*, ubi iudicium pendet ex sententia de *ὅτι* stabilienda.

4) **O** II 104 . . . – ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑⏑ ⏒

. . . *ἀφθονέστερόν τε χέρα*

ubi sunt 2 l, 4 p, 3 br, 1 i, unde consentaneum est exitu brevi hoc loco quaesito excusari exitum imperfectum; mirum autem illud est, quod exitus brevis quaeritur in fine strophae, ubi nostro sensu clausula plenissima postulatur.

5) **O** II 110 ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⌞ ⏒

τίς ἂν φράσαι δύναιτο

ubi sunt 1 h, 1 p, 2 br, 1 i, itaque in fine epodi sicut in fine strophae huius carminis exitus brevis quaesitus est, imperfectus autem non evitatus.

6) **O** III 9 . . . –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – – –́ ⏑ ⏒

. . . *ἅτε Πίσα με γεγωνεῖν τᾶς ἄπο*

ubi sunt 4 l, 1 p, 1 i. Adiungamus reliqua exempla praepositionum, primum sex earum quae in anastrophe sunt:

O VIII 4 *ἀνθρώπων πέρι* | *μαιομένων*. 1 l, 1 h, 3 p, 2 br, 1 i.
P V 7 *βαθμίδων ἄπο*. 4 p, 2 br, 1 i, 1 ih.
P V 94 *ἀνδρῶν μέτα*. 4 l, 1 h, 2 p, 1 ih.
N III 9 –́ ⏑⏑ ⌞ –́ ⏑ ⏒
μήτιος ἀμᾶς ἄπο. 5 l, 1 p, 1 br, 1 ih.
N X 85 *κασιγνήτου πέρι*. 1 l, 2 br, 1 i, 1 ih.
I VI 8 *Αἴγιναν κάτα* | *σπένδειν*. 1 l, 1 p, 2 br, 1 ip, 1 i.

Praepositiones autem versus fine a substantivis disiunctae hae sunt 6:*)

---

*) cf. de **O** VI 53 *ἀλλ' ἐν* | *κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ* . . . . praefationem et supra § 5, 2.

O IX 19 *σόν τε, Κασταλία, παρά* | *Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον.* 1h, 3p, 3br, 1i.
O X 20 *ποτί* | *πελώριον.* 1br, 1i, 1ip, 2ih.
O XIII 98 *κατά* | *Ἑλλάδα.* 1p, 4ih.
O XIV 10 *παρά* | *Πύθιον.* 1l, 1i.
N V 3 *περί* | *πάντων.* 3l, 1p, 1i, 1ih.
N X 31 *περί* | *ἐσχάτων.* 1l, 2br, 1i, 1ih.

Horum locorum, qui exitum imperfectum post praepositiones admissum habent, duo sunt qui a reliquis recedant: **O** III 9 enim et **N** III 9 exitus imperfectus respondet exitibus maiorem partem longis (i. e. qui longam vocalem habent l et h), utroque autem loco extat *ἄπο* in anastropha. Verisimile igitur est his locis formam praepositionis extitisse, quae exitum perfectum praeberet. Cum autem docuerimus **O** II 25 *βαρύ* respondere 9 exitibus longis vocalibus insignibus, haud procul abest quin coniciamus formam eam fuisse, quae in titulis aeolicis servata est *ἄπυ*. Contra reliquis locis 11 exitus brevi vocali insignes (si comprehendimus br, p, i, ip, ih) longos numero superant vel aequant. Sunt autem praepositiones *παρά* bis, *κατά*, *κάτα*, *μέτα*, *ἄπο*, *ποτί*, *περί* bis, *πέρι* bis. Desunt *ἀνά*, *ἀντί*, *ἐνί*, *ἐπί*, *ὑπό*.

7) **O** III 13 . . . – ◡ –
. . . *τάν ποτε* | *Ἴστρου.* 1l, 1p, 1ih.

loci ubi *ποτέ* exitum imperfectum efficit, sunt hi:

O X 104 *ἅ ποτε* | *ἀναιδέα.* 1br, 1i, 1ip, 2ih.
P I 16 *τόν ποτε* | *Κιλίκιον.* 2l, 1p, 1br, 1i.
P III { 5 *ποτέ* | *τέκτονα.* 5l, 1h, 1br, 1i, 1ih.
  74 *ποτέ* | *ἀστέρος.* }
P IV 293 *ποτέ* | *οἶκον.* 3l, 3p, 2br, 3i, 2ih.
P XII 6 *τάν ποτε* | *Παλλάς.* 1l, 1p, 1br, 1i.

Ex his locis bis (**O** X 104, **P** IV 293) exitus imperfectus videtur esse quaesitus, in tribus autem carminibus **O** III (si quidem *ἄπο* exitum perfectum efficit), **P** I, **P** XII (ubi v. 3 *ἄνα* correximus) *ποτέ* unicum exitum imperfectum efficit, **P** III *ποτέ* bis apparens in eodem strophae loco respondet 6 exitibus longis et uni brevi. Quae si cum eis comparamus,

quae de *τέ* particula in fine versus posita vidimus ad **O** I 64, vix suspicione nos abstinebimus, *ποτέ* et *τέ* vocabula, ubi solitarios vel multis exitibus longis respondentes exitus imperfectos efficiant, in pronuntiatione aliquo modo modificata esse, quo exitibus perfectis adaequarentur. Est autem in ipsis Pindari carminibus vestigium formae vocabuli *ποτέ* servatum, quae alteram syllabam aut natura aut positione produxerit: **I** I 25 enim traditur

⏒ ⏖ – ⏖ – – ⏒ ⏑ ⏓

καὶ λιθίνοις ὅποτε δίσκοις ἵεν.

(Secundum scholia aut *λιθίνοις δίσκοις* accusativus aeolicus est, aut corrigendum *λιθίνους δίσκους*), Ammonius autem, qui citat hunc versum, exhibet *ποτ' ἀνὰ δίσκοισι* et Eustathius *λιθίνοις ὁπόταν δίσκουσι.* Unde Bergkius in editione tertia formam *ὁπόταν* vel *ὅποταν* coniecit Aeolensium more dictam pro *ὅποτε*, quae coniectura quamquam in editione quarta cum *ὅποτ' ἐκ δίσκοις ἵεν* mutata est, nescio an ita retinenda sit, ut formae *ὅποτε* litteram *ν* additam fuisse supponamus. Eandemque formam restituendam esse suspicor **O** III 13, **P** I 16, **P** III 5, 74, **P** XII 6 in exitu versuum. Audaculus mihi ipse videor, cum coniecerim etiam cum *τέ* particula olim nasalem illum sonum in pronuntiatione auditum esse, licet vestigium eius alias deprehenderim nullum.

8) **O** V 3 . . . ⏒ ⏑ – ⏑ ⏗ ⏓

Ψαύμιός τε δῶρα | *ὅς.* 5 l, 1 ih.

Unicus est exitus imperfectus in carmine 24 versuum, in exitu feminino et in *-α* pluralis neutrius, cuius certum exemplum non adest; nam in carminibus, quae maiorem numerum exituum imperfectorum continent, **O** X, **P** III, **P** IV, **P** V haec terminatio non deprehenditur, **O** XIII 20 vero respondet tribus exitibus imperfectis, sententiae autem causa corrigendi sunt loci **N** VII 5 et 53. Cum praeterea versus paralleli quinque in longas exeant, correctione opus videtur esse. Cuius vestigium nescio an praebeant scholium vetus: *δέχου δὲ τὸ τοιοῦτο δῶρον φαιδρῷ προσώπῳ* et scholium recens, cuius auctor legit quidem *δῶρα* in textu, expli-

cationem autem suam ex veteribus scholiis compilavit: *τουτέστι τὸν ὕμνον τὸν γλυκὺν καὶ τὰ δῶρα τοῦ Ψαύμιδος, τουτέστι καὶ τὸ δῶρον, ὅ σοι δωρεῖται ὁ Ψαῦμις. ἄωτον δὲ λέγει τὸν ὕμνον, ὅν δῶρόν φησι τοῦ Ψαύμιδος πρὸς αὐτήν* .... Unde suspiceris Pindarum ad *ἄωτον γλυκύν*, de quo versu primo loquitur, *δῶρον* appositionis loco addidisse. Quod assequimur scribentes *Ψαύμιος τὸ δῶρον.*

9) **O** VI 68

πατρί | *ἑορτάν.* 3l, 2h, 2p, 2br, 1i.

In hoc versu, cum longarum et brevium idem numerus sit in versibus parallelis, exitus imperfectus eo minus offendit, quia masculinus exit in -ῐ dativi singularis, qui saepissime comparet in **O** X et **P** V, ubi exitibus brevibus quaesitis exitus imperfecti excusantur; in **O** X quinque dativi in -ῐ inveniuntur, in **P** V quattuor. Atque omnino tenendum est in paucis exitibus imperfectis, quos Pindarus habet, -ῐ multo saepius deprehendi, quam natura linguae ferat. Nam in Aeschyli Persarum 105 exitibus imperfectis sunt 50 ᾰ, 18 ῐ, 18 ο, 15 ε, 4 ῠ, in epiniciorum autem 100: 34 ᾰ, 32 ῐ, 20 ε, 12 ο, 2 ῠ, quorum hucusque reiecimus variis de causis 10 ᾰ, 3 ῐ. In quinque autem carminibus **O** VI, **O** VIII, **N** V, **N** VIII, **N** X et probabiliter etiam in **P** X Pindarus nullos exitus imperfectos nisi in -ῐ sibi concessit. Unde idem de *ι* vocali brevi nobis conicere licet, quod de *υ* vocali brevi ad **O** II 25 adnotavimus, i. e. naturam *ι* vocalis eam productionem, quae constanter fit in fine versuum, sed modo maior modo minor est, admisisse quidem; sed concludi potest versus eos, qui exire possunt in *ι* vel *υ* brevem, productionem paulo minorem in fine habuisse quam illos versus, ubi exitus imperfecti omnino evitantur.

10) **O** XIII ⏔́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏓

επ. α′ 4 τίς γὰρ ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα,
επ. β′ 4 ὅσσα τ᾽ ἐν Δελφοῖσιν ἀριστεύσατε
επ. γ′ 4 Παλλὰς ἤνεγκ᾽· ἐξ ὀνείρου δ᾽ αὐτίκα
επ. δ′ 4 τοξόταν βάλλων γυναικεῖον στρατόν
επ. ε′ 4 πόλιες ἅτ᾽ Εὔβοια. καὶ πᾶσαν κατά

–́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓

επ. α′ 5 *ἢ θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλῆ δίδυμον*
επ. β′ 5 *ἠδὲ χόρτοις* . . . . .
επ. γ′ 5 *ἦν ὕπαρ* . . . .
επ. δ′ 5 *καὶ Χίμαιραν* . . . .
επ. ε′ 5 *'Ελλάδ' εὑρήσεις* . . . .

His locis exitus imperfectus quaesitus est; nam quattuor imperfectis unus respondet exitus perfectus, qui et ipse brevem vocalem habet. Memorari attinet *μέτρα* unicum exemplum omni dubitatione exemptum esse exitus in -*α* neutrius pluralis, cuius generis vocabula apud eos poetas, qui exitus imperfectos non evitant, creberrima sunt; atque idem fere de *ἀριστεύσατε* valet, nam duo reliqua exempla terminationis verbalis in -*ε* N IX 3 *πράσσετε* et N IV 69 *ἀπότρεπε* suspecta sunt.

11) **O** XIII 72 . . . . ⏑́⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏓
ἀνὰ δ' ἐπᾶλτ' ὀρθῷ ποδί. 51, 1h, 3p, 1i.

Hic singularis exitus imperfectus deprehenditur in loco, ubi exitus longus legitimus videtur esse, de quo eadem dicenda sunt, quae diximus ad **O** VI 68 *πατρί.*

12) **P** III 40.
οὐκέτι | *τλάσομαι.* 31, 1br, 1ip.

Hoc quoque loco cum maior pars exituum longi sint, iota finale productum esse videtur.

13) **P** IV 5 . . . –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – – –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ ⏓
οὐκ ἀποδάμου 'Απόλλωνος τυχόντος ἵερεα.
131, 2h, 4p, 6br, 1i.

In omnibus editionibus excepta Boeckhiana et in omnibus codicibus proparoxytonon legitur, quod scholiasta praecipit *τὸ ἵερεα προπαροξυτόνως τονιστέον.* Sed scholion hoc ipso praecepto docet fuisse, qui scriberent *ἱερέα*, quod Boeckhius suo iure in contextu posuit; nam si de *ἵερεια*, quam formam homericam Pindarus in reliquis eiusdem formationis substantivis sequitur, nulla dubitatio fuisset, non opus fuit addere *προπαροξυτόνως τονιστέον.* Eos autem, qui exceptione admissa paroxytonon scripserunt *ἱερέα*, recte fecisse

certum est, non solum, quia ita evitatur exitus imperfectus isque femininus, sed etiam quia metrum paenultimam corripi iubet. Est enim fortasse paenultima producta plerumque causa, cur -*α* finalis femininorum primae declinationis antiquitus longa corripiatur; correpta igitur paenultima, ultima productionem recuperat vel servat.

In vocabulo autem simillime formato *βασίλεια* in fine versus N I 39 etiam latius processit Pindarus, cum *βασιλέα* forma tres syllabas effici iuberet

⏗ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓

ἀλλὰ θεῶν βασιλέα

ubi codices formam regularem et ceteroqui Pindaricam habent *βασίλεια*. Ex forma igitur inusitata *ἱερέα* adhibita in fine versus apparet, quantopere evitetur exitus imperfectus.

14) P IV 21 – ⏗ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – – ⏗ ⏑ ⌞ ⏓

λίμνας θεῷ ἀνέρι εἰδομένῳ γαῖαν διδόντι

ξείνια . . . . 81, 3 p, 1 br, 1 ip.

exitus imperfectus offendit, quoniam femininus vix satis excusatur vocali -*ι*, sententiae autem non minus dativo convenit genetivus *θεοῦ εἰδομένου διδόντος*; pendet enim a verbo *δέξατο* (construendum est: *Εὔφαμος δέξατο γαῖαν ξείνια θεοῦ ἀνέρι εἰδομένου διδόντος*), quod Pindarus quidem altero loco cum dativo coniunxit P VIII 5 *Ἀσυχία*, ... *Πυθιόνικον τιμὰν Ἀριστομένει δέκευ*, Homerus autem *δέχεσθαι* non solum cum dativo coniungit, sed etiam cum genetivo *Α* 596, *Ξ* 203, *Ω* 305 (discrimen id fere est, quod nos facimus inter »einem etwas abnehmen« et »von einem etwas empfangen«). Hoc autem loco genetivus aptior est, quia dativus *ἀνέρι*, qui diversam significationem habet, in eodem enuntiato extat; eaque causa corruptelae videtur fuisse.

15) P IV 53 . . . – ⏗ ⏑ – – ⏗ ⏑ ⌞ – ⏑ ⏓

τὸν μὲν πολυχρύσῳ ποτ' ἐν δώματι

101, 2 h, 7 p, 6 br, 1 i.

Aut -*ι* finalis producta est aut pluralis restituendus *πολυχρύσοις ποτ' ἐν δώμασιν*, qui saepe pro singulari adhibetur de domibus deorum: cf. P IX 56, N X 88, sed in exitu masculino *δώματι* ferri potest.

16) **P** IV 86 . . . – ⏑́ ⏑ – – ⏑́ ⏑ ⏓

. . . *ἔμπας τις εἶπεν καὶ τόδε.* 3 l, 3 p, 2 br, 3 i, 2 ih.

Hoc loco exitus imperfectus quaesitus esse videtur sicut **O** XIII ep. 4, sed monendum exitum *τόδε*, aeque atque illic *μέτρα* et *ἀριστεύσατε*, in iis carminibus quae maximum numerum exituum imperfectorum habent **O** X et **P** V non apparere. Coniectura autem *τοδί* ut facilis est, ita cum apud Pindarum *ι δεικτικόν* nusquam legatur, haud probabilis. Monendum vero hoc quoque est, cum *καί* particula aperte corrupta sit (cf. Bergkium ad hunc locum), etiam pronomen *τόδε* incertum esse. Expectamus sententiam, qualis est: *ἔμπας ἔπος τοιόνδ' ἔφη.*

17) **P** X 6 ⏑⏑ ⏑́ ⏑⏑ – ⏑ – ⏑̄ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏓

ἀγαγεῖν ἐπικωμίαν ἀνδρῶν κλυτὰν ὄπα

3 l, 3 p, 1 br, 1 i.

In eodem carmine duo exitus imperfecti in *-ι* reperiuntur, versus autem paralleli exitum imperfectum non respuunt, et aliquos certos singularis numeri accusativos tertiae declinationis in *-α* in exitu habemus; quamquam medela facillima praesto est *ὄπα κλυτάν.*

18) **N** IV 69 ⏑́ ⏑̄ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑̄ ⏑́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓

Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν, ἀπότρεπε
αὖτις Εὐρώπαν ποτὶ χέρσον ἔντεα ναός.
ἄπορα γὰρ λόγον Αἰακοῦ
παίδων τὸν ἅπαντά μοι διελθεῖν.

3 l, 6 p, 2 br, 1 ih.

Hic est et unicus exitus imperfectus in carmine 96 versuum et qui propter *-ε* vocalem (praeter *ποτέ* et *τέ* particulas non admissam) valde offendat. Accedit quod, si sententiam examinaveris, *ἀπότρεπε* displicet; poeta enim postquam se ipse allocutus est, quod saepe facit in transitu ab altera parte carminis ad alteram (cf. **O** II 89 *ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον· ἄγε θυμέ, τίνα βάλλομεν;*) non constans sibi transit ad personam primam *μοὶ διελθεῖν*, ubi expectes *σοὶ διελθεῖν.* Scribendum igitur esse videtur *ἀποτρέπω*, cui additur optime *ἄπορα γὰρ . . . μ ο ὶ διελθεῖν.*

19) N VI 25 — ⏑́⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ ⏓
Ἀγησιμάχῳ υἱέων γένετο. 1 p, 1 br, 1 h.

Ubi *γένετο* pro librorum *ἐγένετο* metri causa temptavit Triclinius, offendit autem exitus imperfectus eo, quod in hoc carmine unicus est. Sed vestigium verae lectionis nescio an servaverit scholiasta, qui haec adnotavit: *ὁ γὰρ Σωκλείδης πρεσβύτερος μὲν τῶν υἱῶν γ έ γ ο ν ε ν Ἀγησιμάχου.* Itaque restituendum esse arbitror

Ἀγησιμάχῳ υἱέων γέγονεν.

20) N VII 5 ⏑ ⏑́⏑⏑ ⌞ ⏑́⏑ — ⏑ ⏕ ⏑ ⏓
ἀναπνέομεν δ᾽ οὐχ ἅπαντες ἐπὶ (ϝ)ἴσα. 4l, 2h, 3br, 1ih.
εἴργει δὲ πότμῳ ζυγένθ᾽ ἕτερον ἕτερα . . .

Neque versus paralleli exitum imperfectum excusant, et accusativus vix id exprimere potest, quod sententia flagitat, quam scholiasta sic bene interpretatur: *ζῶμεν δ᾽ οὐχ ὁμοίως ἅπαντες, ἀλλ᾽ οἱ μὲν πλουτοῦσιν, οἱ δ᾽ οὔ*; quod autem libri habent *ἐπὶ ἴσα* potius interpretandum esset »non vivimus omnes eadem appetentes«. Scribendum igitur est *ἐπὶ ἴσοις* cum Bothio, quod significat »non omnes sub eisdem condicionibus vivimus«.

21) N VII 52 ⏑́⏑⏑ — ⏑ ⌞ ⏑́⏑ — ⏑ — ⏑ ⏓
. . . . κόρον δ᾽ ἔχει
καὶ μέλι καὶ τὰ τέρπν᾽ ἄνθε᾽ Ἀφροδίσια.
7 l, 1 h, 1 p, 1 i.

Scholiasta recte interpretatur *κόρον γὰρ ἔχει καὶ τὸ μέλι καὶ τὰ Ἀφροδίσια*; significat autem *τὰ Ἀφροδίσια* substantivum voluptatem veneris (cf. Xenoph. Memor. I. 2: *Σωκράτης . . . ., ὃς . . . . ἀφροδισίων καὶ γαστρὸς πάντων ἀνθρώπων ἐγκρατέστατος ἦν*), quae hoc loco desideratur, nam *τὰ τερπνὰ ἄνθεα Ἀφροδίσια* nihil esse possunt nisi suaves flores Veneris deae. Multo autem melius res exprimitur, si legitur *τὰ τέρπν᾽ ἄνθε᾽ ἀφροδισίων* (nam in scholio quoque per minusculam scribi debet); quod si fit, revera haec verba nihil exprimunt nisi »summam voluptatem veneream«, ita enim saepissime Pindarus substantivis *ἄωτος, ἄνθος, ἄκρον, ἀκμή* utitur cum genetivo coniunctis ad summum

gradum significandum: cf. **P** IV 158 *σὸν ἄνθος ἥβας*, **O** VI 105 *ὕμνων εὐτερπὲς ἄνθος*, **O** II 55 *ἄνθεα τεθρίππων*, **O** IX 12 *ἄνθεα ὕμνων*, **O** I 15 *μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ*.

22) **N** IX 3 ⏗ ⏖ – ⏖ – – ⏗ ⏖ – ⏖ – – ⏗ ⏑ ⏓
ὄλβιον ἐς Χρομίου δῶμ᾽. ἀλλ᾽ ἐπέων γλυκὺν ὕμνον πράσσετε.
3l, 2h, 2p, 3br, 1i.

Offendit exitus imperfectus, non modo quia unicus est in carmine, sed etiam quia inusitatam vocalem habet. Sententiam vero spectanti apparet satis mire dictum esse *ὕμνον πράσσειν*; nam si cum *πράσσειν* verbo accusativus obiecti coniungitur, qui plerumque pronomen est velut *τί*, *τοῦτο*, vel substantivum generale velut *ἔργον*, *πρᾶγμα*, is non significat id quod facio, sed id quod, vel me invito, finis actionis meae est; ita e. g. **P** II 40 de Ixione dicitur *τὸν δὲ τετράκναμον ἔπραξε δεσμόν*, i. e. Ixion ita egit, ut (invitus) sibi rotae poenam conscisceret. Accedit, quod post formam *πράσσετε*, quibus Musae appellantur, subiecto non nominato de Chromio victore haec dicuntur: . . . *ἐς ἅρμα ἀναβαίνων αὐδὰν μανύει* . . . Quae omnia evitantur, si pro *πράσσετε* scribimus *πράσσεται* secundum codicem D, cuius tamen librarium itacismi errore in veram lectionem incidere potuisse non nego. *πράσσεται* autem hic idem significat atque **O** X 30

. . . *ὡς Αὐγέαν λάτριον*
ἀκόνθ᾽ ἑκὼν μισθὸν ὑπέρβιον
πράσσοιτο . .

i. e. ut (Hercules) exigat ab Augea permagnum praemium servitutis. Hoc vero loco sententia haec est: »Ibimus, Musae, in domum locupletem Chromii ad comissationem, sed exigit (a me vel a nobis) carmen, vult enim victoriam suam renuntiare.« Videtur ergo Pindarus in hoc quoque carmine, postquam victori non statim debitum solvit, admonitus esse debiti, sicut ipse de carmine **O** X testatur v. 3 *γλυκὺ γὰρ αὐτῷ μέλος ὀφείλων ἐπιλέλαθα*.

§ 7.

Ex 108 quos enumeravimus exitibus imperfectis aut versuum divisione mutata aut verborum emendatione sustulimus certo 33, dubitanter 2 (**P** X ὄπα, **I** VII Ἀμφιαρηόν τε). Nunc reliquos 73 percenseamus, atque primum quidem secundum carmina quibus continentur:

a **O** I ἀμβροσίαν τε.
a **O** II βαρύ, χέρα, δύναιτο.
d **O** III ἄπο, ποτέ.
d **O** VI πατρί.
d **O** VIII πέρι.
a **O** IX πάρα.
a **O** X χερί, ἐκτίσσατο, ποιμένα, ποτί, ἅρματι, ἀραρότα, ἅ ποτε, ἀμύμονα, πυρί, ἄρα, νικαφορίαισί τε, πατρί, μέλιτι.
d **O** XIII ποδί, μέτρα, κατά, αὐτίκα, ἀριστεύσατε.
a **O** XIV πάρα.
d **P** I τόν ποτε.
a **P** II ὅτι, βαθύ, παρελέξατο.
d **P** III ποτέ, ποτέ, οὐκέτι, θαμά, ἕδνα τε.
d **P** IV θαμά, σκίμψατο, καί τινα, ποτέ, δώματι.
a **P** V ἄπο, Λακεδαίμονι, φρενί, φρενί, ἔπλετο, ὅτι, φρενί, μέτα.
a **P** X (ὄπα), χθονί, ὅτι.
d **P** XII τάν ποτε.
a **N** III Νεμεάδι, πελάγεϊ, θαμινά, ἄπο, ἀτρεκέι.
d **N** V ὅτι, πέρι, ὅτι.
d **N** VIII χροΐ.
d **N** X περί, πέρι.
d **I** VI κάτα, φείσατο, αὐτίκα.
a **I** VII Ἕκτορα, (Ἀμφιάρηόν τε).
a **I** VIII τραφέντα, τυχοῖσα, βασιλέι, ἁγεμόνα.

Epinicia igitur secundum legem exitus dividenda sunt hoc modo:

I. carmina, quae nullum exitum imperfectum continent: *a* **O** IV (30), *a* **O** V (24), *d* **O** VII (95), *d* **O** XI (21),

d **O** XII (21), *a* **P** VI (54), *a* **P** VII (22), *a* **P** VIII (105), *d* **P** IX (130), *a* **P** XI (64), *d* **N** I (72), *a* **N** II (25), *a* **N** IV (96), *a* **N** VI (69), *a* **N** VII (105), *d* **N** IX (50), *d* **N** XI (48), *d* **I** I (68), *d* **I** II (48), *d* **I** III IV (90), *d* **I** V (70).

Sunt carmina 21, quae continent versus 1273.

II. carmina, quae exitus imperfectos habent nonnisi 1) in -*ι*, 2) in *ποτέ* et *τέ*, 3) in praepositiones:

a **O** I (116) *τέ*, *d* **O** III (48) *ἄπο*, *ποτέ*, *d* **O** VI (105) *πατρί*, *d* **O** VIII (88) *πέρι*, *a* **O** IX (120) *πάρα*, *a* **O** XIV (24) *παρά*, *d* **P** I (100) *ποτέ*, [*d* **P** III (115) *ποτέ*, *ποτέ*, *οὐκέτι*, *τέ* (si v. 78 scribendum est *θαμᾶ*)], [*a* **P** X (72) *χθονί*, *ὅτι* (si v. 6 scribendum est *ὄπα κλυτάν*)], *d* **P** XII (32) *ποτέ*, *d* **N** V (54) *ὅτι*, *περί*, *ὅτι*, *d* **N** VIII (51) *χροΐ*, *d* **N** X (90) *περί*, *πέρι*.

Sunt carmina 11 [13], quae continent versus 828 [1015].

III. carmina, quae exitum imperfectum etiam in aliis verbis admittunt:

a **O** II (110) *βαρύ*, *χέρα*, *δύναιτο*.
a **O** X (110) *χερί*, *ἐκτίσσατο*, *ποιμένα*, *ποτί*, *ἅρματι*, *ἀραρότα*, *ἅ ποτε*, *ἀμύμονα*, *πυρί*, *ἄρα*, *τέ*, *πατρί*, *μέλιτι*.
d **O** XIII (110) *μέτρα*, *κατά*, *αὐτίκα*, *ἀριστεύσατε*.
a **P** II (96) *ὅτι*, *βαθύ*, *παρελέξατο*.
d **P** IV (299) (*θαμά*), *σκίμψατο*, *τινά*, *ποτέ*, *δώματι*.
a **P** V (124) *ἄπο*, *Λακεδαίμονι*, *φρενί*, *φρενί*, *ἔπλετο*, *ὅτι*, *φρενί*, *μέτα*.
a **N** III (80) *Νεμεάδι*, *πελάγεϊ*, *θαμινά*, *ἄπο*, *ἀτρεκέι*.
d **I** VI (72) *κάτα*, *φείσατο*, *αὐτίκα*.
a **I** VII (51) *Ἕκτορα*, (*Ἀμφιάρηόν τε*).
a **I** VIII (70) *τραφέντα*, *τυχοῖσα*, *βασιλέι*, *ἀγεμόνα*.

Sunt carmina 10, quae continent versus 1122.

Etiam in tertia classi certae tantum terminationes apparent:

1) *ῐ* a) dativi 14, b) praepos. *ποτί* 1, c) *ὅτι* 2.
2) *ο* a) verba 6, b) praepos. 2.
3) *ᾰ* a) accusativi tertiae singularis 8, b) praepos. 3, c) adv. 4 (5), d) nom. sing. fem. 1, e) neutr. plur. 1.

4) ε a) ποτέ 2, b) τέ 1, c) verbum ἀριστεύσατε.

5) ῠ neutra 2.

Desunt fere neutra exeuntia in -α vel in singulari vel in plurali numero velut ὄνομα, κακά, quae in aliis poetis maiorem partem omnium exituum imperfectorum efficiunt, item formae verbi exeuntes in -α velut ἔλυσα, λυόμεθα, et nominativi feminini, quorum unum exemplum est τυχοῖσα, nec magis inveniuntur adverbia usitatissima μάλα, ἔπειτα, ἵνα, τάχιστα.

ποτέ et τέ particulae solae exitum -ε praebent uno verbo ἀριστεύσατε excepto, desunt particulae tritissimae δέ, γέ, accusativi ἐμέ, σέ, vocativi velut ξένε, duales velut δοῦρε, formae verbales velut λύε, λύετε (excepto uno ἀριστεύσατε).

Sub -ῐ non comparent formae verbales velut εἰμί, ἐσσί, ἴθι.

Sub -ο desiderantur neutra τοῦτο, ἄλλο, αὐτό.

In singulis autem locis iudicium pendet ex natura exituum parallelorum. Atque cum in exitibus quidem classis alterius nusquam versibus parallelis confirmetur exitum brevem quaesitum esse, concludere licet omnibus illis locis exitum imperfectum eis, quos diximus, modis sublatum vel saltem delenitum esse, cum -ι finalis produceretur, praepositio ἄπο formam indueret ἄπυ, et παρά, quod semel in carmine distrophico O XIV comparet, si de carmine tam brevi iudicare licet, formam Homericam παραί, ποτέ et τέ reciperent sonum nasalem.

In tertia vero classi discernendi sunt ei loci, ubi versus paralleli demonstrent exitum imperfectum vel saltem brevem quaesitum esse, ab aliis, ubi versus paralleli plerumque longa syllaba terminentur. Ita discedunt loci classis tertiae in duas partes:

a) exitus imperfectus aut quaesitus est aut eo excusatur, quod exitus brevis quaesitus est:

O II χέρα, δύναιτο.

O X {χερί, ἐκτίσσατο, ποιμένα}, {ποτί, ἅρματι, ἀραρότα, ποτέ}, ἀμύμονα, {πυρί, ἄρα}, νικαφορίαισί τε, πατρί, μέλιτι.

O XIII {μέτρα, κατά, αὐτίκα, ἀριστεύσατε}.
P II {ὅτι, βαθύ}, παρελέξατο.
P IV {(θαμά), σκίμψατο, τινά, ποτέ}.
P V {ἄπο, Λακεδαίμονι}, {φρενί, φρενί, ἔπλετο}, {ὅτι, φρενί}.
N III {Νεμεάδι, πελάγεϊ, θαμινά}, ἀτρεκέι.
I VI {κάτα, φείσατο}, αὐτίκα.
I VII Ἕκτορα.
I VIII {τραφέντα, τυχοῖσα}, βασιλέι, ἁγεμόνα.
b) Versus paralleli plerumque in longam exeunt:
O II βαρύ.
P IV δώματι.
P V μέτα.
N III ἄπο.

De eis autem exitibus, quos sub III b) enumeravimus, idem iudicandum est atque de exitibus classis II: -ι et -υ in exitu productas esse, praepositionem ἄπο formam ampliorem recepisse ἄπυ, de ampliore autem forma μετά praepositionis (μεταί) quod nihil compertum est, id fortasse casui tribuendum: cf. καταί(βατος), ὑπαί, παραί, ἀπαί.

§ 8.

Ultimo loco quaerendum nobis est de natura rhythmica exituum imperfectorum. Ad carmen O X, ubi frequentia exituum imperfectorum maxima est, Bergkius haec adnotat: »Ceterum notabile est hoc carmen brevis syllabae frequentia in versu novissimo, quod videtur non casu factum, sed artis esse: cf. Mar. Vict. I 17. 24: 'nam Aristoxenus musicus dicit breves finales in metris, si collectiores sint, eo aptiores separationi versus a sequente versu fieri: idcircoque in sexta sede (trimetri) trisyllabos figura non ponitur, quia moram habet: at contra disyllabos familiaris est, quia celerius desinit, et eo magis, si posteriorem syllabam brevem habuerit'«. Ex quibus id tenendum est, longiorem figuram in fine non poni, quia moram habeat. Revera nec versus dactylicus exire potest in dactylum, neque versus iambicus in tribrachyn. Similem autem rationem esse exituum imperfectorum

demonstrant praepositiones *παρά* (bis), *περί* (bis), *κατά*, *ποτί* et coniunctio *ὅτι* (bis) in exitu positae, versus fine ab illis vocabulis separatae, cum quibus arte cohaereant. Nam ubi eius modi vocabula in fine versus poni possunt, temporis spatium, quod usque ad initium versus sequentis decurrit, necessario brevissimum est; et cum in eis locis, ubi exitus perfectus legitimus est, multo rarior sit tam arta cohaerentia vocabulorum versus fine diremptorum (nam **O** VI 53 *ἀλλ' ἐν* | *κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ* et singulare est et fortasse excusatur eo, quod versus 54 ab arsi incipit), certum est exitum imperfectum ibi locum habere, ubi pausa, quae inter versus esse debet, parva est. Exitus autem imperfectus natura sua aptissimus est ad artum versuum conexum efficiendum. **O** X 20 e. g. cum exeat in thesin, proximus autem versus incipiat ab arsi

– ⏑́– ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ ⏓ ‖ ⏑ ⏑́– ⏑⏑ ⏖ – ⌊́ ⏑⏑́ ⏑ – ⏑ ⌊ ⏑́– ⏑⏑ ⏓

θήξαις δέ κε φύντ' ἀρετᾷ ποτί ‖ *πελώριον ὁρμάσαι κλέος ἀνὴρ θεοῦ σὺν παλάμᾳ*,

locus pausae errhythmae non est, quae versus finem auditori sensibilem reddat. Ne igitur pausa arrhythma verba cohaerentia distrahat, syllaba ultima non ad theseos tempus (i. e. duas moras) extenditur, sed paulo ante quam debebat finitur, id quod notis sic fere exprimi potest:

. . . ⏑⏑ ⏑́– ⏑ ⏑́ ∧ ‖ ⏑ ⏑́– ⏑⏑ . . .

ἀρετᾷ ποτί ‖ *πελώριον* . .

Haec causa esse videtur frequentium exituum imperfectorum in **O** X; nam str. 2, 4, 6, ep. 3, 5, 8 proximus versus incipit ab arsi, sed ep. 2

⏑ ⏑́– – ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏓ ∧ ‖ ⏑́– – ⏑⏑́ ⏑ ⌊ ⏑⏑́ ⏑ ⌊ . . . .

Λοκρῶν ἀμφέπεσον μέλιτι ‖ *εὐάνορα πόλιν καταβρέχων* . . .

ubi sunt 1 l, 2 br, 1 ih, eadem causa non adest. Nec magis **O** XIII ep. 4, ubi 1 p, 4 ih, et **P** IV ep. 1

. . . ⏑́– ⏑ ⏓ ∧ ‖ ⏑́– ⏑ – – ⏑́– . . . .

. . . ⏑́– ⏑ ⏓ ∧ ‖ ⏑́– ⏑⏑ – ⏑⏑ – – ⏑́– . . . .

Sed hic quoque **O** XIII 98 versuum confinium *κατά* | *Ἑλλάδ'* indicat arte cohaerere versus. Unde consentaneum est pau-

sam errhythmam non magni momenti esse, cum admittatur inter praepositionem et substantivum.

Quibus rebus consideratis conclusio nostra haec est:

In exitu omnium versuum pausa fit, nam hiatus aliter explicari nequit. Quae pausa arrhythma pausam errhythmam, si thesis thesin in versuum confinio sequitur, in se recipit. Ante pausam syllaba ultima, quae aut in longam vocalem aut in consonantem exire solet, theseos tempus explere et fortasse paulum produci solet. Sunt tamen loci, ubi ex causis fortasse, quae ex ductu melodiae (vel ut antiqui dixere harmoniae) proveniunt, exitus aliter tractatur. Ibi longae vocales in ultima versus syllaba rarae sunt, poni autem solent breves in consonantem exeuntes syllabae, vel etiam breves in vocalem exeuntes. Huiusmodi locis cohaerentia verborum demonstrat cohaerentiam rhythmi quoque artiorem esse. Quae cohaerentia ita efficitur, ut syllaba ultima versus, quae ceteroqui unius theseos tempus explet vel superat, brevius tempus occupet (conferendum est nostrum »staccato«) et pausa paulo prius quam debebat incipiat. Pausam autem fieri arrhythmam, etiamsi exitus imperfectus sit et vocabula arte cohaereant, cognoscimus ex hiatu qui occurrit in locis, quales sunt **O** X 104, **P** X 69, **N** V 46:

. . . ⏒́ ⏑ ⏓ ‖ ⏑ ⏒́ ⏖ . . .
. . . ἅ ποτε ‖ ἀναιδέα . . .
. . . ⏑ ⏓ ‖ – ⏒́ ⏑ . . .
. . . ὅτι ‖ ὑψοῦ
. . . ⏑ ⏓ ‖ – ⏒́ ⏑ . . .
. . . ὅτι ‖ ἐσλοῖσι . . .

Altera autem quaestio haec est, cur 75 exituum imperfectorum, quos agnovimus, tres soli **O** II 110 *δύναιτο*, **I** VIII 15 *τραφέντα*, 35 *τυχοῖσα* certi in exitu feminino sint, incerti duo **O** I 64 *ἀμβροσίαν τε*, **I** VII 33 *Ἀμφιάρηόν τε*. Quae res non inde explicari potest, quod exitus feminini omnino rari sint in epiniciis, tertia enim pars omnium versuum femininum exitum habet. Atque carminum **O** X et **P** V, quibus maximus numerus exituum imperfectorum continetur,

alterum unum (ep. 4), alterum duos (ep. 4, 7) exitus femininos continet, qui constanter in longam syllabam exeunt. Apparet igitur in exitibus femininis illud artificium exitus imperfecti rarissime (carminibus quibus admissus est, O II et I VIII, ea quoque singularitas communis est, quod paeones admixtos habent logaoedis) in exitu feminino adhibitum esse. Cuius rei causa ex rhythmi natura non intellegitur, si ultimam syllabam arsin esse putamus; nam tum in omnibus rhythmis generis diplasii brevem syllabam in sede arseos ultimae expectaremus legitimam esse, sicut longa ultima legitima est, si versus exit in thesin. Haec difficultas aliter solvi non potest nisi exitum femininum sumamus rhythmum habere eum, ut paenultima syllaba artificio *τονῆς* unum pedem totum expleat, ultima vero syllaba thesin efficiat,

. . . –́ ⏑ ⊔́ ⏓́

Quam clausulam multo magis placidam et quietam esse quam masculinam

. . . –́ ⏑ ⏓́

(ideo feminina in fine maxime stropharum ponitur) et multo minus illa citatum illum exitum imperfectum ferre elucet.

Secunda autem quaestione prorsus diversa disquirendi via progressi eandem mensuram exituum femininorum in strophis doricis probabimus.

[Reliqua in dissertationum philologicarum Argentoratensium volumine IV publici iuris fient.]

Typis expresserunt Breitkopf et Haertel Lipsienses.